D. CHRIST. HANACCII
JVR. SAX. P. P. ORDINARII, ET FACVLT. JVRID.
WITTEBERGENSIS ASSESSORIS

DIATRIBE


DE
AERE ALIENO
STVDIOSORVM,

VVLGO:

Vom
Schuld- und CREDIT-Wesen
derer Studenten,

OB INSIGNEM ARGVMENTI VTILITATEM


DENVO RECVSA





FRANCOFVRTI ET LIPSIAE.
MDCCXLI.





PROOEMIVM.



n quavis Republica, bene conſtituta, ſtudiorum cauſa omni ſemper favore honoreque digna eſt habita. Idque jure ac merito. ſive enim rem ex pretio æſtimes, ſive utilitatem, quæ in ipſam Rempublicam, pacis bellique tempore, redundat, ſpectes, reliquis artibus, ſine dubio, ingeniorum cultura, longe præferri, omnino meretur. Referendum huc eſt ſapiens conſilium FRIDERICI ÆNOBARBI *aliorumque Regum ac Principum, qui, præter ceteras artes atque ſcientias, literarum cultores tot tantisque exornandos, cenſuerunt privilegiis atque largitionibus, ut, noſtro quidem ævo, de iis conſervandis magis, quam augendis, laborandum nobis eſſe videatur. In primis vero illa utuntur libertate Academiæ Germaniæ noſtræ, uti illis, qui ſtudiorum cauſa, ibi morantur, temporis pecuniæve ſuæ liberrimi ſint moderatores & arbitri. Sed doluerunt æque ſæpenumero complurima liberalium artium domicilia vices*

ſuas, quod nihilominus, in tanta libertatis uſura, aut literarum dignitatem magnopere periclitari, aut ipſam ſeculi ſpem falli, haud raro videant. Tum vero ſigillatim, triſtem ac deſperatum rerum ſequi exitum, experientia docet, ſi, cum tempore, quo ſtudioſis nihil pretioſius eſt, ipſum quoque patrimonium, quod in ſtudiorum uſus conferri oporteret, per luxuriam & languorem, Muſis inimicum, effundatur, ſique, facultatibus in otio exhauſtis, omni diſcendi occaſione dimiſſa, ac præterea ære alieno graviſſimo contracto, Academiis valedicendum ſit. Equidem a nobili & generoſa ſtudioſorum conditione ſordida auaritia aliqua maxime abhorret, quippe quibus integrum potius eſt, per ſapientem rerum ſuarum adminiſtrationem, ac modicam liberalitatem, quam patrimonii vires ferunt, bonæ ſuæ indolis documenta edere, in Academiis. Neque ſtatim exiſtimandum, omne æs alienum Academicum ſtudioſis dedecori eſſe, propterea, quod, per illud, ſumma interdum eorum diligentia, flagrantiſſimumque diſcendi deſiderium, probatur, danturque caſus, ubi, ob calamitates vel publicas, vel domeſticas, ſupervenientes, niſi medio laudabili conatu deſiſtendum ſit, ejusmodi æs alienum neceſſario contrahi oportet. Ac ſane optandum quidem foret, ut æs alienum Academicum, non, niſi has ob cauſas, contraheretur. Ita enim neque honoris, neque officii, rationi quisquam deeſſet.

Verum

Verum negare nemo poterit, a multis multo aliter rem interdum geri, in Academiis, cum etiam, nonnunquam studiosos, neque honoris tuendi, neque studiorum, gratia, sed, alias ob causas, maximo ære alieno obstrictos esse, quotidie videas, ita, ut, quemadmodum, de Academia Lipsiensi, Vitembergensi & Jenensi (jure an injuria?) vulgo quondam dici sueverit, felicem numerari illum, qui ex harum aliqua, valetudine integra, sine uxore ac sine vulneribus, decesserit, nunc forsitan, majori quodam jure, in universam id sustineri posse videatur, honori ducendum esse, qui, sine ære alieno, studiorum curriculum conficere, domumque remigrare, potuerit. Consulendum hic itaque literarum dignitati ac bono publico, dudum consverunt summi principes, Academiarum indulgentissimi fundatores ac nutritores, qui cum probe scirent, quantum damni ipsi Reipublicæ afferat studiosæ juventutis male administrata res domestica, inde ab instauratis in Germania literis, multum, de ære alieno, studiorum causa contracto, perquam sapienter passim constituerunt, speciatim vero Serenissimus Potentissimusque Poloniarum Rex atque Elector Saxoniæ, Dominus noster longe gratiosissimus, FRIDERICVS AVGVSTVS, una cum maioribus suis, gloriosissimæ memoriæ, reliquis suis ordinis exemplum hac in re, sapientis legislaturæ præbuit, dum ille nuperrime, antiquis legibus instauratis, patribus

hujus Academiæ autoribus, liberæ ſtudioſorum, æris alieni contrahendi, facultati, patriæ ſalute id efflagitante, juſtos poni limites, juſſit volvitque. Quæ quidem res cum in univerſum late omnino pateat, neque, pro multitudine cauſarum, quæ hujus generis, in ipſis rerum argumentis, incidere poſſint, interpretationem doctrinalem, neque diligentiam, reſpuat, nemo tamen, quantum conſtat, de ære alieno Academico, ex inſtituto egerit, itaque nobis, de ſpecimine quodam Academico, publice edendo, cogitantibus, in præſentia, hæc inſtituti ratio comprobata eſt, ut omne jus, quod, circa æs alienum ſtudioſorum, vel contrahendum, vel, quod contractum eſt, diſſolvendum, obtineat, duabus ſectionibus, pro ingenii mediocritate, enucleare atque colligere conſtitueremus. Abs Te vero L. B. atque, pro dignitatem ratione, ſuſpiciende, etiam atque etiam petimus, ut, ſi conatus noſtri Tibi non ubique ſatisfaciant, nec Tuæ expectationi reſpondeant, omnia tamen æqui bonique conſulas. Nos enim numeroſa quadam librorum pompa omnique oraculo deſtituimur, familiari ac domeſtico, quod multis, qui præcocen aliquam felicitatem & eruditionis laudem vel enixe ambiunt, vel, jam obtentam, tueri ſtudent, crebro conſulere licet. Nos, nullo conſulto humano oraculo, ſed divino potius Numine, pie religioſeque implorato, quæ utilitati publicæ conſulere videntur, e curta ſupellectile, pro ingenii mediocritate, depromere annitemur.

SECTIO PRIMA
DE
AERIS ALIENI
ACADEMICI CONTRAHENDI RATIONE.

§. I.

Ante, quam rem ipsam perficere hic aggredimur, operæ pretium est, ut eas res, quas res, in ipsa præsentis dissertationis inscriptione, potissimum innuimus, paucis describamus. Quo facto, postea, de ipsa sententia nostra, hic tradenda, eo apertius clariusque constare poterit. Æs alienum quid idiomate Latino ac stylo Juris Romani significet, in vulgus notum est. Æs, apud priscos Romanos, quibus sub initium Reipublicæ, auri argentive aut nullus, aut rarior erat usus, pecuniæ vicem subibat. Imo æris nomen in omni pecunia, aurea sive argentea, postea quoque illi retinuerunt, cum ditiores, per victricia sua arma, facti sint, *leg.* ALCIATVS, *de Verb. signif. p. 235.* FRANCKENSTEIN. *de ærario populi Romani, c. 2.* Æs itaque alienum omnis dicitur pecunia, quæ nostra non est, sed aliis debetur. Luculenter in hanc rem scribit VLPIANVS, *l. 213. de V. S.* æs alienum est, quod nos aliis debemus, æs suum est, quod nobis alii debent, *add. l. 159. eod.* CVIAC. *Lib. VII. Obs. 33. sub. fin.* WISSENBACH. *in diatriba, mutuum esse alienationem*, FRANECKERAE, *1660. in 12. edit. Disp. II. thes. 16. & disp. 3. thes. 7.* Æs hoc alienum, vulgari seculi stylo, effertur, per nomina passiva, Germ. Schulden, quibus opponuntur activa, aussenstehende Schulden, sive æs suum, nec incommode, huic enim appellationi respondet veterum Romanorum institutum, quo eorum, quibus pecuniæ credebantur,

tur, nomina kalendariis perscribi solebant, Brisson. *de form. p. 538.* Inde nomina appellabantur, aut ipsa debita, aut tituli eorum, qui patiebantur, apud alium, esse in tabulis, in quas referebatur, cui mutuum esset datum, Pitiscus, *in Lex. Antiqu. voc. Nomina, p. 273.* Cumque præsentis nostri instituti ratio eo redeat, ut omne id, quod, circa æs alienum studiosorum, aut contrahendum, aut, contractum dissolvendum, justum & æquum esse videatur, generatim ac speciatim tradituri simus, ergo, vocabulum æris alieni, quod fieri vel potest, vel res ipsa forsitan postulare videtur, quam latissime hic sumi, volumus. Ita nec dubitandum est, quin appellatio altera germanica des Schuld-und Credit-Wesens, quam, majoris lucis causa, apponere visum est, instituto nostro itidem optime conveniat, quanquam Dn. a Ludwig, *in disp. de differentiis juris Romani & German. in Mutuo, different. 1. & lit. f.* vocem Credit-Wesen spuriam esse in vernacula, contendit, ac vehementer usum ejus reprehendit, placet tamen nihilominus, ex ipsius consilio l. c. ejusmodi uti vocabulo, quod, in curiis ac foris, receptum jamdudum est, ac fere civitate donatum.

§. II. Altero vero nunc loco dicendum quoque est, quinam hic studiosorum nomine nobis potissimum veniant. Studiosorum denominationem multifariam, in jure nostro, sumi, constat. Hanc, in primis, quod ad Jurisprudentiam attinet, communem sæpe esse, tam Doctorum, quam auditorum, probat Cujacius, *L. VII. obs. 25.* Plura de homonymia hujus vocabuli, ex legibus, affert Tabor, *in Racemat. Crim. defin. p. 108. opp. ad l. 52. D. d. furtis vers. studioso meo.* Ac præterea notum est, quoties, de studiosorum immunitatibus ac privilegiis, quæritur, eorum numero complures censeri, de quibus tamen hic merito dubitamus, an omnes huc pertinere queant. Si enim ita quæratur, studiosos, malis moribus præditos, &, qui naviter literis non incumbunt, licet in catalogum relati sint,

ad

ad usuram tamen privilegiorum non admittit HUBERUS, *ad π. P. 2. p. 210. §. 75.* VINNIUS, *ad I. L. 1. t. 29. §. 15.* ac, studiosos, qui ideo degunt in Academiis, ut vexent creditores, privilegio restitutionis in integrum indignos esse, censet REBUFF. *d. privileg. studios. priv. 119. ibique* LUDOVICI *p. 146.* Ex adverso, ne quidem extra Academiam degentem, etiam post quinquennium, studiosorum immunitatibus privandos esse, existimat HUNNIUS, *d. privileg. studios. quæst. ult. p. 175.* COTHM. *Resp. Acad. quæst. 19. n. 25. & 26. & Respons. 20. n. 25. & 26.* LUDOVIC. *Observ. de privileg. studios. p. 49. & alii.* In Academiis vero, qui, per decennium, studiorum causa, commoratur, discipulus esse definit, atque incola illius loci factus, domiciliumque ibi nactus, esse videtur, per *l. 2. C. d. incolis.* CUIACIUS, *d. l.* SCIPIO GENTILIS, *ad Authent. Habit. C. Ne fil. pro patre. §. 43. p. m. 211.* & quæ sunt reliquæ liberales interpretandi rationes, quas studiorum causa, omni favore digna, admitti alioqui suadet.

§. III. Sed, de ære alieno studiosorum, magnopere dubitandum est, an de illo juris dispositiones pari se habeant ratione. Illæ enim privilegii rationem, nostro quidem judicio, eo minus habere possunt, quo magis leges Academicæ, circa æs alienum studiosorum, latæ, horum limitatum arguunt commercium, liberamque rerum suarum administrationem circumscribunt. Quare, multo hic aliter, atque in privilegiorum causa, studiosi appellationem accipiendam esse, putaremus, &, si certi quid, ex legum sententia atque rationibus civilibus, exquirere liceat, dicendum omnino videtur, eos tantum studiosorum nomine, in præsenti causa, nobis venire posse, qui in Academiis, studiorum causa, commorantur, &, cum aliis commilitonibus, in togatæ militæ castris versantur, ubi sane, contra inscitiam & ignorantiam, veluti infensissimos hostes, dies noctesque, fidelibus ducibus, acriter pugnandum est. In qua quidem liberali & acerrima ingeniorum con-

tentione, morumque æmulatione, eo magis cavendum eſt, ne quis re ſua male utatur, quo facilius hoc, in tanta commilitonum ſocietate & frequentia, qui tamen non omnes ſunt ejusdem frugalitatis, evenire poteſt. Legum, huc pertinentium, accedit promulgatio & autoritas, loci, vel Academica jurisdictione, ſemper finita atque circumſcripta. Illuſtri hic exemplo eſt noviſſima illa Saxonica Sanctio, de qua ſupra jam dictum. Nolumus tamen, quæ hic diximus, eo pertinere, ut æs alienum, in Academiis valide contractum, extra easdem exſolvi non oporteat. Ita enim debitor Academicus injuſtum nanciſceretur aſylum, & occaſionem illudendi creditoribus, legibus non probatam.

§. IV. Ut itaque jus, circa æs alienum ſtudioſorum, conſtitutum, ad aliquem pertinere queat, duo requiruntur, ut quis actu, in Academiis, degat, & quidem ſtudiorum cauſa. An præterea opus quoque ſit deſcriptione nominis, in matricula Academica, maxime dubitari poſſet, ſiquidem multi exiſtimant, non deſcriptos in albo Academico, ſtudioſorum numero non haberi. PARISIUS, *Conſil. 159. n. 16. Vol. IV.* MATTH. STEPHAN. *de Acad. Cap. V. n. 18.* GILKEN. *ad Authent. Habit. C. Ne Fil. pro patre n. 7* LANSIUS, *de Academiis, pag. 27.* COTHMANN. *Reſp. Acad. 20. n. 11. & ſeqq.* RICHTER. *in Auth. Hab. P. IV. p. m. 185.* Quorum quidem opinio tum omnino veritate nititur, quando, ex legibus alicujus Academiæ, inſcriptione opus eſt, atque ſimul, de privilegiorum uſu, potiſſimum quæritur. Ubi ſane, qui Rectori & Academiæ nomen ſuum dare diu cunctatur, immunitatum expers jure habetur, quoniam hæc diu neglecta inſcriptio nullo eſt digna favore. His accedit, quod in plerisque Academiis certum tempus conſtitutum ſit, intra quod, ut fiat immatriculatio, ſerio ac publice admoneri aſſolet. Atque ita diſſentientibus GUMPELSHEIMERO, *in Gymnaſ. de Exercit. ſtud. P. I. S. 4. n. 2.* HORATIO LUCIO, *de privil. ſtudioſ. ſub fin. num. 20.*

n. 29. HUNNIO, *in Comment. ad auth. d. c. 1. q. 1.* satisfieri potest.

§. V. Sed, quicquid hujus rei sit, multo tamen alia, in ære alieno, subest ratio, ob quam juris dispositiones etiam ad nondum inscriptos, modo in Academiis, studiorum causa, jam reperiantur, omnino recte producendæ sint. Siquidem, in his legibus, eadem juris ratio, contra æs alienum nondum inscriptorum, eo magis pugnare videtur, quo consultius est, mature depravatis occurri moribus, eorumque principiis obstare. Deinde nemo, confidimus, negabit, æs alienum, quod temerarium appellari meretur, ab nondum inscriptis non minus, quam inscriptis, cum Reipublicæ, tum parentum, ac suo maximo periculo, contrahi posse, in hoc vero periculo cavendo omnis legum, circa æs alienum studiosorum latarum, ratio sita est. Quare, ob rationis identitatem, etiam studiosos, nondum in matricula descriptos, huc referre non dubitamus, modo, uti diximus, illi in Academia, studiorum gratia, vivant.

§. VI. Hoc cum ita asseramus, e studiosorum numero necessario hic excluduntur illi, neque de horum ære alieno in præsentia agere animus est, 1. Qui quidem in Academiis vivunt, sed non amplius studiorum causa, quo pertinent, qui, deserto literarum cultu, uxorem duxerunt, atque Latini, uti contemptim vocari solent, cerevisiæ facti sunt coctores, ac, per decem annos, incolatum civitatis forte obtinuerunt. 2. Quos calamitates vel publicæ, vel privatæ, ab Academiis revocaverunt, revertendi licet animum illi habeant. Calamitoso enim illo tempore, non crediderim, studiosum, extra Academiam degentem, atque afflictum, temere æs alienum esse contracturum. Idem quoque dicendum, de illis, quos res domi angusta ex Academiis deturbavit, eoque adegit, ut, aliorum institutione fungendo, necessaria sibi vitæ alimenta quærere debeant, aliisque bonos mores omni modo probare enitantur. Multo vero aliter sentiendum, de illis, qui, tempore otii, vacatio-

cationum, animi gratia, aliquoties & aliquantiſper excurrunt. Hos nondum extra dilapidationis periculum poſitos eſſe, judicamus, adeoque eorum æs alienum, tum temporis, etiam extra Academiam, contractum, ex legibus Academicis judicandum eſſe videtur. His itaque, de ſtudioſi appellatione, ut inſtituti ratio efflagitare videbatur, breviter dictis, ad rem ipſam nunc proprius accedendum eſt, & quidem prima Sectione id potiſſimum agemus, ut, de ſtudioſorum facultate morali, æris alieni contrahendi libera, aut limitata, dicamus. Ita enim optime cognoſcetur, quo pacto æs alienum Academicum valide contrahatur, ſolvendique producat obligationem, quæ adeo ſumma inſtituti noſtri eſſe videtur.

§. VII. Hæc cum ita nunc peragere annitamur, ante omnia extra dubium id eſt ponendum, poſſe Principem, pro ea, qua in Republica pollet, ſumma poteſtate, ob graviſſimas cauſas, ſubjectis ſuis, qui aut patrimonio ab uſuri ſint, aut, ob lubricam ætatem, ſibi non ubique ſufficiant, vel omnino, vel quodammodo, bonis interdicere, rerumque ſuarum adminiſtrationem adimere, quoties id Reipublicæ atque ſingulorum ſalus vehementer poſtulat. Exemplo hic eſſe poſſunt minores, feminæ, prodigi ac ceteri, qui in tutela ſunt, vel cura. Eadem Principis poteſtate idem quoque contineri, certum eſt, ut nonnunquam libertati, æris alieni contrahendi, termini poni ab illo queant. Ac, tametſi, quod ad ſtudioſos attinet, nonnullæ occurrant dubitandi rationes, quod ſtudioſi, in primis extranei, in Academia domicilium non ſortiantur, neque civitatis & incolatus jure utantur, WESENBEC. *parat. D ad Municip. n.* 7. FRANZK. *L. 1. Reſol. 16. n. 21. ſqq.* Deinde, quod ſtudioſi, ob maximos ſumptus, qui neceſſario in ſtudia faciendi ſunt, ex divitibus, pauperes ſæpius fiant, ipſo hoc fatente Imp. FRIDERICO, *in Authent. Hab. C. Ne fil. pro patre.* Ubi ſane inhumanum foret, prohibere, ne pauperes ejusmodi, aliorum ope atque auxilio, ſubleventur, in primis, cum

cum non sit credibile, sine summa necessitate, quæ leges respuit, debita aliquem esse contracturum. Tamen, his omnibus nihil tribuendum esse, putamus, licet enim studiosi temporales sint subditi, attamen simul quoque sunt territoriales, & Jurisdictioni, qua Academiæ, etiam sine territorio, gaudent, WISSENB. *ad. l. 239. ff. d. Verb. Signif.* §. 9. subsunt. Utpote qui ipsi legibus Academicis pariter, ac provincialibus, tenentur, & jurejurando hoc nomine obstricti sunt, nec ceteroquin, in perniciem reliquorum civium, recepti esse, aut tolerari debere, intelliguntur. Ut præterea taceatur, ipsis Academiis dedecori esse, justo licentius ære alieno irretiri studiosos, quemadmodum id, piissimæ gloriosissimæque memoriæ IOHANNES FRIDERICUS, Elector Saxoniæ, in mandato quodam, ad Academiam nostram, de legibus sumptuariis constituendis, sapienter his innuit verbis: Ferner, dieweil wir vermercken, daß die Studenten, und sonderlich die jungen Gesellen, ihren Eltern und ihnen zum Beschwer und mercklich nachtheilig, auch unserer Universität zur Nachreden, dardurch viel und übermäßig verthun, ꝛc. ꝛc. item: Dahero denn erfolget, der Universität zum Verweiß, daß einer auf ein Jahr eine grosse Summe Geldes verzehre, dergleichen vormahls und in andern Universitäten nicht bald erfahren.

§. VIII. Quare, nihil causæ adduci posse, creditur, cur studiosos extraneos legibus, ob æs alienum, latis, vivere non oporteat. Quamquam largimur, studiosos, qui, sedulo literis incumbendo, ad laudabilem illam paupertatem, de qua ipse loquitur FRIDERICUS *Imperator l. c.* ipsimet sese redegerunt, dignos esse, quibus & omnino subveniatur, & flebile illud, æris alieni libere contrahendi, beneficium relinquatur. Deinde nec illud hic asserimus, posse illis ære alieno contrahendo, penitus interdici, qui studiorum causa in Academia degentes, de necessariis eo pertinentibus subsidiis ita anguntur, itaque cum summa confligunt egestate, ut, nisi aliorum sustineantur auxilio, certe pereundum illis foret ac moriendum. Siquidem,

hoc fieri, & pietas, & rectæ rationis dictamen, vetat, nec Principum sanctionibus congruit, quippe quibus non, nisi æri alieno temerario & minus necessario, ac Reipublicæ pariter & familiis funesto, obicem ponere in animo semper est.

§. IX. His breviter, neque frustra, monitis, ad rem ipsam propius nunc accedimus, ubi quidem, pro instituti ratione, quæ late pateat, atque ad omne æs alienum, sive temerarium illud, sive minus tale, appellari mereatur, pertineat, omnia, huc spectantia, ad nonnullum ordinem hoc modo commode revocari posse videntur, ut, quemadmodum, æs alienum studiosorum, in universum consideratum, ob quadripartitam causam, potissimum contrahi, animadvertitur, ita quoque, illius rei juridicialem contemplationem in quatuor locos optime distribui, conveniet. In æs vero alienum studiosi, vel ob necessitatem, vel ob utilitatem, incidunt, vel honestatis, vel denique voluptatis, causa, eodem obruuntur. Hæ omnes causæ, uti e subsequentibus patebit, maximum semper juris momentum continent, dum vel creditoribus concurrentibus dissimile jus tribuunt, vel ipsum obæratum studiosum, ad solvendi necessitatem obstringunt alias, alias eadem absolvunt. Quare, æs alienum totuplex esse, existimamus, quotuplicem ejus causam hic cognovimus, adeoque, secundum causarum ordinem, diversum quoque jus, quod circa studiosorum debita obtineat, commonstrandum erit.

§. X. Debitum necessarium Doctores alias vocant, quod ex lege venit, vel statuto CARPZ. *P. III. C. 13. d. 29.* STRAUCH. *Dissert. 10. th. 5.* veluti debitum legitimæ, portionis statutariæ & similium. Quæ debiti necessarii descriptio ab instituto nostro non adeo abhorret. Vocamus vero hic æs alienum necessarium, quod a studioso, vel vitæ necessitate, vel studiorum ratione, id necessario postulante, contrahitur. Quod, cum ipsa naturæ lege, ob casum necessitatis, approbatum sit, sive contrahendi, sive dissol-

vendi

vendi necessitatem respicias, necessarium appellare non dubitamus. Hoc debiti genus necessaria vitae alimenta constituunt, quae non solum victum complectuntur, quatenus hoc vocabulum, late sumptum, omnia illa continet, quae ad vivendum homini necessaria sunt, & quibus, tuendi curandive corporis nostri gratia, utimur *l. 43. & 44. ff. de V. S.* veluti esum, potum, vestitum, habitationem, *l. 6. D. de aliment. & cib. legat.* imo lectum & stramenta. Sine his enim nemo vivere potest, *l. 234. §. 2. de V. S.* pharmaca, *l. 22. §. 8. D. Soluto matrimonio &c.* & similia. Verum etiam, alimentorum nomine disciplinas & animi institutionem venire, aut saltem, studiorum sumptus alimentis aequiparari, certum est, *l. ult. ff. d. aliment. & cib. leg. 4. D. ubi pupillus educ. l. 6. §. 5. de Carbon. edict. l. ult. C. d. aliment. pupillo praestandis.* TABOR, *dissert. d. patria potestate P. 1. C. 2. §. 4. l. si paterno C. d. negot. gest. in pr.* SURDUS, *de alimentis, Tit. 6. quaest. 19. n. 10.* MYNSING. *L. 3. Obs. 12.* TULDEN. *ad Tit. C. d. alend. liber. n. 2.* KNICHEN. *in opere Politico, Lib. 2. P. 2. Sect. 2. th. 16. n. 3.* RICHTER. *Consil. 6. n. 3.* licet dissentiat ARNISAEUS, *de Rep. Lib. 1. c. 4. Sect. 4. n. 46.* LYNCKER. *in Analect. ad D. p. 334. th. 67.* & alii. Interim hic non contemnenda est distinctio JOACH. BAPT. PONTANI, *in tr. de alimentis c. 17. n. 21.* qua alimenta, quae ex charitate & judicis officio debentur, ab illis distinguit, quae ex ultima voluntate proficiscuntur, illis, non his, sumptus quoque studiorum contineri, recte statuit, conf. COLER. *de aliment. lib. 2. c. 1.*

§. XI. Quod si itaque, harum rerum causa, studiosus ab aliis pecuniam mutuatus sit, vel hoc nomine in aere esse coeperit, tum illud debitum necessarium vocamus. Hoc vero aes alienum haud incommode distinguitur, in verum & simulatum, illud est, quod vera nititur necessitate, utpote si ad ejusmodi impensas, necessario faciendas, aut nullam, aut non sufficientem pater suppeditet pecuniam, aut studiosus, qui sui juris est, & prodigalitatis vitio vacuus, ejusmodi subsidiis destituatur, vel ad tempus careat. Ubi quidem

&

& ipsum studiosum & patrem ejus, ad solutionem hujusmodi debiti, sine omni exceptione, devinctum & obstrictum esse, putamus, propterea, quod pater, ipso jure divino, liberos alere debet, quousque hi semet ipsos exhibere haud possunt, eorumque animus, parentum cura, ita excolendus est, ut aliquando utiles esse queant Reipublicæ cives. Quodsi ergo parentes huicce muneri suo, ob egestatem, ac similia impedimenta, deesse cogantur, liberis vero, in ejusmodi difficultate constitutis, ab aliis, aut mutuum dando, aut alia ratione fidem habendo, succurratur, tum certe versio in rem parentum facta esse, intelligitur, quo casu in eos creditoribus actio est prodita, *l. 2. & 5. C. d. SCto Maced. l. 15. C. d. negot. gest. l. 7. §. 13. D. d. SCto Macedon.* Nec locum habet SCtum Macedonianum, multoque minus ipsi studiosi, si solvendo sint, exceptione aliqua tueri hic se poterunt, quippe qui, consensu suo diserte interposito, ex causa, nulla lege improbata, ad debiti restitutionem perfecte tenentur, *arg. l. si me & Titium 32. D. si certum petatur.*

§. XII. Sed, si dicendum, quod res est, hoc non est illud æs alienum studiosorum, de quo hic multum differere attineat. Etenim, hoc aut fere nunquam, aut saltem minime sæpe, studiosos in Academiis obstringi, vides, quoniam parentes filios, in Academias, sine pecunia, nunquam mittunt, aut illis, quantum sufficere potest, postea, fraudato quoque interdum genio suo, subministrare solent, aut, si, superveniente difficultate domestica, premantur, domum revocant filios. Alii vero, stipendiis, ac Mæcenatum munificentia, aluntur, aut tam frugaliter vivunt, ut, paucis contenti, nullo ære alieno implicentur. Quamobrem affirmaremus potius, id crebrius contingere, ut, ob fictam & imaginariam aliquam necessitatem, a studiosis æs alienum contrahatur. Hoc enim quotidiana testatur experientia, moris esse in Academiis, ut pecunia, quæ in necessarios sumptus eroganda foret, pro debitis minus necessariis, imo quoque prohibitis,

tis, solvatur. Quemadmodum id jam olim sapientissimus Legum lator & Elector Saxoniæ IOANNES FRIDERICVS, loco supra citato, animadvertit, cujus hic ipsa afferre liceat verba, Ferner, inquit Serenissimus Elector, dieweil wir vermercken &c. daß Ihnen (den Studenten) ja zu Zeiten ohne Vorwissen ihrer Præceptoren viel geborget wird, da sie doch mit Gelde gnugsam und nothdürfftiglich abgefertiget und versehen, daß sie sonderlich die Ordinaria wohl bezahlen können, welches aber offt verbleiben soll, aus dem, daß sie solch Geld zu andern unordentliche Wesen, zechen, panckettiren, spielen, unnützen Kleidern und dergleichen zu mißbrauchen behalten und verthun &c. In eandem sententiam conceptum est antiquum aliquod Academicum Senatus Consultum, cujus verba, præter cetera, hæc sunt, *Primum (malum) est sumptuum & debitorum magnitudo, intoleranda ætatis imperitiæ, quæ, præsente pecunia, quæ eis curatur, celeriter & plerumque male etiam absumpta, tantum postea debitorum contrahit, & mutuando, & cauponis & tabernis pro vino, cerevisia, vestibus, non necessariis, & sericis in primis, atque apud eos, in quorum familia victum habet, atque insuper conviviis & compotationibus, ut & parentes onerent sumptibus gravissimis, & tam hos, quam patrimonia sua nonnunquam exhauriant. Itaque hoc fit postea, ut tanquam obærati non sint solvendo, aut si pecunia submittitur, solvantur ab ipsis priore loco debita non necessaria, & ii, quibus Legibus Civilibus, Veteribus & Nostris de jure nulla solutio debetur, atque omni pecunia in hos præconsumpta, hæret postea solutio in necessariis debitis, ut iis, qui ipsos in familia sua alunt, aut de habitatione iis accommodant, aliaque ad vitam necessaria ministrant, solvere nihil possint. Sed uno in loco impedita solutio multas familias evertit itaque & oppidum completur debitis, & egere quam plurimi incipiunt, & nisi avertatur, paulo post non erunt, qui velint, pauci etiam qui possint convictores apud se scholasticos alere.* Malvimus itaque hæc odiosa alienis, quam nostris, exprimere verbis, add. MEYFART von Erbauung und Fortsetzung der *Academi*schen *Disciplin &c. lib. 2. c. 1. seqq. p. m. 213. seqq.*

§. XIII. Sed hic merito quæritur, quid juris competat creditori, qui studioso, fictam aliquam necessitatem prætendenti, mutuum dedit, vel credidit, an studiosus, aut pater, ad hoc debitum solvendum, quodam juris vinculo, peræque, ac supra, de ære alieno, vere necessario, dictum est, teneatur. Sane hic, quod ad patrem attinet, multæ eæque gravissimæ dubitandi rationes, contra creditores, moveri posse videntur. Siquidem ejusmodi æs alienum, quod pro necessario venditatur, invito fit patre. Quippe qui, cum jam satis pecuniæ submiserit filio, nec diserte neque tacite amplius in debita, postea contrahenda consensurus esse creditur. Deinde, actionem, de in rem verso, tum cessare, notum est, si pater jam filio restituerit pecuniam, in ipsius utilitatem impensam, licet filius eam creditori non solverit, *l. 10. D. d. in rem verso &c.* imo pater, de alimentis & sumptibus, studiorum causa, filio præbendis, *arg. l. 18. D. d. V. O.* non, nisi semel, tenetur, neque nova alimenta suppeditare debet, si prius assignata inutiliter atque dolose dissipaverit & perdiderit filius. Quemadmodum hoc, contra alios, tuetur ARNISAEUS, *c. l. n. 45. add.* MARTIN. COLER. *de alimentis, c. 2. n. 5.* In primis vero creditoribus obstare videtur, quod, pro divitiarum ac dignitatis ratione, qua parentes gaudent, facile judicare potuerint, illos haud esse passuros, ut filii sui, in Academiis, subsidiis, summe necessariis, careant. Deinde, cum creditores fugere plane non possit, quod, præter necessitatem, invitis quoque parentibus, & in perniciem suam, debita contrahant studiosi, parum abesse videtur, ut illi creditores omni odio digni habeantur.

§. XIV. Verum nihilo secius, quæ hic, pro creditoribus, dici queant, majoris esse momenti, censemus. Succurrendum videlicet est, quoad fieri potest, creditoribus, qui, de damno hic vitando, certant, ac plerumque vel ignorant singulorum studiosorum mores, vel in justa sunt ignorantia constituti, vel, honesti alicujus viri fidem in dubi-

um

um temere vocandam esse, non censent. Et quis tandem credet, studiosis artes varias ac multas defuturas esse, quibus usi, de necessitate æris alieni contrahendi, quam tamen fingunt, creditoribus plene persuadere possent. Hujus rei manifesta æquitate adductus Sereniss. Elector JOANNES FRIDERICVS, l. c. ad hunc quoque modum constituit, So soll auch der Rector, der jederzeit ist, demjenigen, sie seynd der Universität oder dem Rathe verwandt, die solchergestalt uf die Studenten hatten Schulden wachsen lassen, darzu verhelffen, oder Förderung zu thun nicht verpflichtet seyn. Es befinden sich denn im Verhör der Sachen die Umstände, daß der Gläubiger gantz ohne Schuld wer, und auf guten und ungefehrlichen Glauben dermassen gehandelt und geborget, daß er eine billige und erhebliche Entschuldigung seines gethanen Borges herwieder hette, welches bey dem Rector samt den Vier Decanis und den Senioribus zu ermessen stehen soll :c. Quin etiam complurima studiosorum debita, necessaria, ita comparata sunt, ut eorum solutio statim, ab initio & in antecessum, peti jure nequeat. Et, si indistincte, ante tempus & subsecutum implementum, solutiones fieri oporteat, hoc, multas ob causas, non ubique consultum foret studiosis. Ut præterea non taceamus, contra regulas decori, quod hominum consvetudo, in commerciis, servat, pugnare, si nimis mature ac intempestive debiti, nondum perfecti, urgeatur solutio. Tum enim creditor vel avaritiæ, vel summæ indigentiæ, contra se proderet suspicionem, ipsi vero debitori, ceteroquin bonæ existimationis, non posset non sat grave hoc postulatum esse.

§. XV. His rationibus adducti, arbitramur, etiam illis favendum esse, qui, ob fictam necessitatem, studiosis pecuniam ignorantes crediderunt. Sibi enim imputet pater, quod filium, cujus mores diligentius & accuratius nondum exploraverit, in Academias miserit, neque, pecuniæ consumptæ exactiores ab illo reddendas sibi rationes, curaverit, sed filio, perdituro, pecuniam dare perrexerit.

Quæ omnia cum latæ culpæ ſint affinia, contra patrem, hic recte judicandum eſt, *confer.* COLER. *de alimentis, Lib. I. Cap. 11. n. 25. ſeqq.* Creditores vero, ipſius patris, de filio bene exiſtimantis, exemplo adducti, non tam filii, quam patris, fidem ſequuntur. Dum ergo, præ creditoribus, patris culpam, magnopere hic incuſatam, exagitamus, ita ad dubia ſupra mota breviter nos reſpondiſſe ſimul videmur. De cetero, hic non quærendum, putamus, utrum prodigalitatem filii pater noverit, an minus. Siquidem pater filii ſui mores, ſine inſigni culpa, nunquam ignorare poteſt. Quare, ſi pater, ob ejusmodi debita filii, ſtudioſi, conventus, exceptionem pecuniæ, ſufficientis filio transmiſſæ, adeoque ceſſantis verſionis, utatur, has exceptiones elidendi fundamentum, in culpa ejus lata, ponendum eſſe, cenſemus, licet diſſentiat D. STRYKIVS, *in V. M. D. Tit. d. in rem verſo §. 6.* Utpote, qui petitionem principii committere videtur, quando dicit, patrem, qui, filii morum ignorans, pecuniam, ad neceſſarium æs alienum exſolvendum, transmiſit, ideo nihilominus debita ſolvere teneri, quia id facere patri neceſſario incumbit. Deinde minus recte idem ſtatuit, pingviorem hic eſſe negotiorum geſtorum actionem, quam, ſi, de in rem verſo, creditor experiatur. Etenim, uti antea demonſtravimus, ob patris culpam, vel dolum, hic concurrentem, illum nihil juvat exceptio pecuniæ, ſufficientis, filio transmiſſæ. Quanquam alioquin non negamus, e re interdum creditorum eſſe, ut, ſi commode id fieri poſſit, ob debita Academica, actionem, de negotiis geſtis, contrariam, inſtituant. Interim tamen crebrius ac multo ſæpius, æri alieno ſtudioſorum accommodari poſſe actionem, de in rem verſo, quam alteram, perſuaſum omnino habemus. Contra quam actionem, tum demum urgeri non poteſt exceptio pecuniæ, ſufficienter miſſæ, ſi ipſius filii liberæ adminiſtrationi omnia, & quidem non ſine culpa aut dolo, commiſerit pater. Multo vero aliter exiſtimandum, ſi, quemadmodum, ut hoc fieret, paſſim, in Senatus Academici Con-

ſultis,

sultis, semel iterum ac sæpius inculcatum est, pater, vel moribus filii, gubernandis, ejusque rei domesticæ administrandæ, cum ampliori quadam potestate, aliquem præfecerit, vel pecuniam saltem alicui bono viro, in rem filii, pro necessario vitæ ac studiorum usu, expendendam, miserit. Tum sane, nihil juris tribuendum esse, putamus, illis, creditoribus, apud quos, invito, aut ignorante, ephoro, studiosus debita contraxit, vel, qui tempestive haud petierunt solutionem.

§. XVI. Sed, de ephoro studiosi, uberius disquirendi hic nanciscimur occasionem, idque in primis, de illo, quæritur, an pater solvere debeat, si aut ephorus, studiosi nomine, aut studiosus ipse, illo consentiente, æs alienum contraxerit. Negat hoc D. LEYSERUS, *in Corrolario 6. Disp. d. bonis adventitiis filiorum famil.* propterea, quod pater ei, quem filio præfecit, mutui accipiendi potestatem dedisse non censeatur, cum, per illum præfectum, den Hoff-Meister, mores tantum filii formari, volverit. A quo dissentire non videtur D. a LUDEWIG, *in Disp. de different. I. R. & Germ. in Mutuo, different. 8. Lit. tt. p. 49.* ubi quidem, pro ratione, adducit, quod præfectus ille instar sit curatoris in itinere, Reise-Vormund, & sibi tribuat pater, quod non dederit filio comitem meliorem. Sed simul addit, hoc eo magis verum esse, si ejus generis præfectus formulam habeat sui muneris ampliorem, neque illud tantum in morum censura, aut literarum institutione, versetur, sed etiam sit æris susceptor, custos & largitor. Primus itaque, licet hoc diserte dicat, alterum vix dissentientem habet. Putamus ergo, e lege ac formula muneris, cognoscere oportere creditores, an tuto illius fidem sequi possint. In dubio vero id plurimum, contra patrem & studiosum, valet, si præfectus pecuniæ moderator sit, eamque dispenset in rem studiosi. Quod reliquum est, si, de præfectionis lege ac formula, plene constet, tum pater omnino solvere debet, ob expressum suum consensum, *l. 5. C. ad SCtum Maced.* & si vel maxime dolum,

 circa

circa officium ſuum, commiſerit ephorus, is tamen patri magis, præficienti, quam creditoribus, qui ubique in bona ſunt fide, nocere debebit, arg. *l. 5. pr. D. tribut. action. arg. l. 1. §. 9. l. ult. D. d. exercit. act. l. 11. §. 5. D. d. inſt. act.*

§. XVII. His generatim, de neceſſario ære alieno, ſive ficte, ſive vere tali, traditis, ad ſpecialiora, eo pertinentia, nunc deveniemus. Ubi quidem ſpecialia nonnulla capita, quæ ad æs alienum ſtudioſorum, partim ob vitæ, partim ob ſtudiorum, rationem, neceſſario contractum, ſpectabunt, commemorabimus, &, quod, circa eam rem, juris eſſe videatur, adducemus. Ad vitæ neceſſitatem referimus cibum, potum, habitationem, lectum, ligna, ad calefaciendum hypocauſtum neceſſaria, veſtes, medicamenta, & quæ in ſimili eſſe genere intelliguntur. Horum ſingula ſigillatim nunc comtemplabimur. Quantum æs alienum, victus cauſa, per aliquod tempus, contrahere liceat ſtudioſo, boni viri arbitrio relinquitur, qui, ex ſtudioſi ejusque parentum, conditione, nativitate, patrimonio, ætate, nobilitate ac pro conſvetudine, de hac re judicat, PONTANUS, *de alimentis, c. 7. n. 1. ſeqq.* adeoque hic neceſſaria ſtudioſi alimenta, ſimplici vitæ neceſſitate, metiri non debemus, ſed, præter facultates, dignitatis quoque & decori habenda eſt ratio. Quam alimentorum diſtinctionem legibus conſentaneam eſſe, probat COLERUS, *de alimentis. lib. 1. c. 1. n. 11. ſq.* Interdum res jam, per leges Academicas, deciſa eſt, ac modus vel creditoribus, vel ipſi ſtudioſo, poſitus. Ita mandato Electorali, ipſo hoc anno, hac in Academia, ſtudioſorum cauſa, promulgato, præter cetera, cautum eſt, ut nemini ſtudioſorum, quod ad menſam attinet, ultra ſemeſtre ſpatium, fides habeatur. Laudatæ legis verba, huc pertinentia, hæc ſunt, Sondern auch jeder Studiosus alle Viertel-Jahr den Hauß- und Tiſch-Wirth, nebſt andern Creditoribus zu befriedigen ſchuldig ſeyn, und dazu angehalten, ingleichen von keinem Hauß- oder Tiſch-Wirth aus der Bürgerſchafft über ein Viertel-Jahr nachgeſehen, oder im wiedrigen ihm zu ſeinem Rechte nicht verholf-

verholffen, daferne aber der Studiosus seine Stube und Tisch deß-
halb zu verändern suchte, er vom neuen Hospite nicht eher, als
bis er, daß der vorige richtig bezahlet, von demselben mündlich oder
schrifftlich versichert, angenommen ꝛc. Nulla habita hospitum
ratione, sive cives sint, sive honoratiores, ob verba, Ge-
stalt wir auch nicht absehen mögen, warum zwischen dem Hauß-
oder Tisch-Wirth, aus der Bürgerschafft und andern ein Unter-
scheid zu machen? sondern vielmehr nöthig finden, daß man hier-
unter eine durchgängige Gleichheit beobachte. Quod vero hic,
de trimestre spatio, constitutum est, paullo post sapientissi-
mus legislator, alio rescripto, 16. Iulii a. c. ad semestre ex-
tendit. Ubi quoque, argumento hujus recentioris sanctio-
nis, dubitandum non est, quin studiosis peregrinis spatium
quoddam, facta causæ cognitione, ultra semestre, indulge-
ri queat. Verba enim prioris rescripti, Jedennoch denen aus-
ländischen Studiosis, welche ihre Gelder nicht allemahl richtig em-
pfangen, dißfalls, wiewohl anders nicht, als prævia causæ co-
gnitione, und mit Vorwissen des jedesmahligen Rectoris, ein
oder andere Nachsicht gegönnet werden solle, quæ subsequente
sanctione mutata non sunt, effectum suum retinere debent.
Deinde, ob rationis identitatem, asserere non dubitamus,
quod hic, de peregrinis sancitum est, ad domesticos & com-
provinciales tum quoque spectare, si hi, vera necessitate ad-
acti, ob victum, æs alienum contraxerint, quia Serenissi-
mus Legislator æri alieno, potissimum temerario, hic ob-
viam ire decrevit. Siquidem nemini, in vero necessitatis ca-
su constituto, fame pereundum est, modo tamen plenius
constet, de ipsius necessitatis ratione.

§. XVIII. Sed quæritur, quid dicendum sit, si studio-
sus, intra hoc semestre spatium, quod ad quantitatem &
qualitatem victus attinet, omnem excesserit modum, si u. c.
patrimonii vires meliori quidem, mensa communi, uti haud
patiantur, illius vero stomacho non, nisi mensa quotidie
quatruplex, eaque lautissima, sufficiat, vel, si studiosus,
una cum omni pecunia, quam pater, studiorum causa, ex-
pende-

pendere constituit, ab hoc in Academiam missus, lautiorem carioremque convictum eligat, quam facultates ipsius sinunt. Respondetur, horum neutrum a regula & a semestri spatio excipiendum esse. Ac, tametsi, pro illo facere videatur, quod aut naturæ suæ, ad edendum tam proclivi, refragari, ac vim inferre, aut esuriales celebrare ferias, nequeat, quodque, intra semestre spatium, eodem, quo alius vix, intra biennium, cibo potuque indigeat, adeoque citius æris alieni, hanc ob causam, contrahendi, necessitas enascatur. Alteri vero id patrocinari posset, quod consilii sui multas laudabiles habere possit rationes. Sed, illum, naturam paucis, adeoque cibo parabili, esse contentam, plenumque ventrem diligentiæ impedimento esse, meminisse, volumus, imo ad minuta pertinere peccata, quoties aliquis in cibo aut in potu plus accipit, quam necesse est, *Distinct. 28. c. 3.* Alterum vero facultates explorare suas, neque fortunæ, nisi, illius spurium sese esse, credat, nimis fidere oportet.

§. XIX. Diximus supra, alimentorum, quæ cibo potuque continentur, determinationem ab officio judicis plerumque pendere. Hic vero non solum, secundum vivendi necessitatem, verum etiam dignitatem atque decorum studiosi, ex bono & æquo, judicare solet. Quæritur inde, an alimenta famuli, quo utitur studiosus, ac reliquæ expensæ, quæ, intuitu mensæ atque convictus, interdum fieri solent, u. gr. pecunia, pro redimendo accessu, solvenda, das Tisch-Recht, strenæ, aliæque largitiones, hospiti convivali, data occasione, faciendæ, huc æque pertineant, si forsitan, harum rerum causa, studiosus æs alienum contraxerit. Alimenta, famulis debita, eodem quidem loco haberi oportere, putamus, si studiosi ea sit conditio, ut & egeat famulo, aut servo, & eosdem alere queat, PONTANUS, *de aliment. c. 8. n. 3.* ubi BARTHOLUM & ALEXANDRUM pro se adducit. Eo enim alimentorum ipsius studiosi extenditur ratio. Imo juri & æquitati consentaneum

um

um esse videtur, ut, si studiosus vel famulis, aut servis suis, vel, alimentorum, his debitorum, causa, aliis quid debeat, hoc pari jure censeatur, cum mercede famulorum, aliis hominibus servitium, quoniam ejusmodi servis & famulis, de studiosorum patrimonio & indigentia, neque constat, nec judicare licet. Ad reliquas vero expensas, quæ, occasione convictus fieri assolent, quod attinet, distincte hic considerandum est jus, quod hospiti competit, aut exigendi aliquid, aut sponte oblatum accipiendi, a studioso. Pro accessu, modicum aliquod jure omnino postulari potest. Æquum enim hoc est, parvo munere, incommoda nonnulla, ac damna, compensari, quæ, occasione mensæ & convictus, in hospitem redundant, dum linteæ, mappæ & mappulæ manuales, disci, vasa, reliquaque, ad mensam & epulationem pertinentia utensilia, vulgo das Tisch-Zeug, quotidiano usu absumuntur, ac pedetentim corrumpuntur. Idem existimandum etiam est de commodo illo cerevisiario, vulgo des Rahmens-Geld, studiosis, hac in Academia, ex SERENISSIMI NUTRITORIS clementia, competente, quod plerumque Oeconomi, in eandem compensationem, sibi vindicant, &, per communem observantiam, æque ac ipsius convictus pretium, petunt.

§. XX. Deinde dubitandum non est, quin hospiti, in primis docto, & erudito, juste liceat eas accipere donationes, quæ, data occasione, ipsi, honoris causa, sponte fiunt, a convictoribus suis, qui quotidie, inter victus consvetudines & convivales sermones, aut in moribus, aut in doctrina, ab illo haud mediocriter erudiuntur ita, ut, præter cibum potumque, etiam institutione quadam uti videantur. Ubi sane, nihil iniqui subesse, arbitramur, si studiosi vicissim ejusmodi hospiti suo, hoc nomine, gratum animum, per munera, testificari gestiant. Indignum vero hoc esse censemus hospite, si hæc talia, jure quodam perfecto, sibi a studiosis, qui ejus mensa utuntur, præstari, velit jubeatque. Quem in casum, hac in nostra Academia,

XX. Imperialium pœna constituta est, per decretum visitationis, quod datum est, die XIX. Augusti Anno 1668. cujus verba, quæ hic ponere placet, hæc sunt, Von GOttes Gnaden, Wir JOHANN GEORGE der Andre, Hertzog zu Sachsen, des Heil. Römischen Reichs-Ertz-Marschall und Chur-Fürst, rc. rc. rc. rc.

Und nachdem Wir von gewissen Personen Nachricht erhalten, daß, wiewohl es gegen unsere Commissarien nicht gestanden werden wollen, dennoch unterschiedne Tisch-Wirthe gefunden werden, die von den Tisch-Gängern an Angebinden, Jahrmärckten und Neu-Jahrs-Geschencken, auch andern dergleichen verursachten Unkosten soviel hinweg nehmen, davon die Tisch-Gängere noch eine geraume Zeit sonst zehren, und den Tisch bezahlen könten, so ist hiermit unser ernster Wille und Befehl, daß solches gäntzlich abgestellet, und jedesmahl, so offt ein Tisch-Wirth darwieder handelt, er deßwegen Zwantzig Thaler Straffe, vermöge des Decreti de anno 1624. condemniret, solche Straffe von ihm unnachläßig bey Vermeidung unserer anderer ernsten Verordnung, durch seine Obrigkeit eingebracht, und dem Fisco Nosocomii geeignet werden soll, rc. De hujus sanctionis observantia & usu hodierno, non est, ut dubitemus, interim tamen, uti supra diximus, omnem liberalitatem spontaneam, modicam, honestam ac suo modo justam, erga hospitem, hac lege minime prohiberi, existimamus. Quodsi ergo studiosus apud alios hoc nomine in æs alienum inciderit, ejusmodi debitum æque, ac pretium convictus, solvendum est.

§. XXI. In universum vero hic prætereundum non est, officium judicis, cujus arbitrio res sæpe relinquitur, *l. 5. D. d. aliment. vel cibar. legat.* tum certe latius patere, si lex, aut statutum Academicum, regulam non ponat, & contra ipsum studiosum, qui ipsemet solvendo est, actio instituatur, quam, si patri onus solvendi imponendum sit. Possunt enim creditores in bona esse fide, atque studiosi mores ac rerum domesticarum rationem ignorare. Contra

tra vero ſtudioſo indignum foret, fidem, de ſolvendo, aliis, quorum rebus aut pecunia uſus, ſemel datam, fallere velle. Nec juſtitia patitur, alienum uſurpare, vel, cum damno & injuria alterius locupletari, *l. 14. D. d. Condict. indebiti l. 206. D. d. reg. Jur.* Quam ob cauſam, cupedinarios, oenopolas, cereviſiarios, coquos, qui ſtudioſis delicatiora eſculenta & potulenta, ultra nonnullum modum, crediderint, ſolutionem, ſi non a patre, ſaltem a filio omnino obtinere, putamus. Id quod una alteraque res judicata nobis confirmat. Si modo hic excipiantur creditores, qui ſcienter luxuriæ ſtudioſi inſerviunt. Hos enim naturalis ſubmovet ratio, damnumque, quod ſentiunt, fraude ac dolo eorum, debitoris mores corrumpentium, abunde penſatur. Quoties ergo quæſtio incidit, de commeſſationibus & conviviis, luxuriæ cauſa apparandis, toties denegatur actio creditoribus, qui luxuriæ fomentum præbuerunt. Eodem quoque pertinet, ſi ſtudioſus ex ludo, convivii cauſa, inſtituto, quid debeat, licet ceteroquin ejusmodi ludendi ratio prohibita non ſit, *l. quod in conviviis &c. D. d. aleatoribus*, de quo ludendi genere adiri poteſt ANGELUS ARETINUS, *de maleficiis, verbo, mettidore, n. 17.* STEPH FORCATULUS, *in penu iuris, c. 28.*

§. XXII. Hæc paucu, de ære alieno ſtudioſorum, victus cauſa, contracto, tradidiſſe nunc ſufficiat, ſed opportuno tamen loco hic adhuc quæri attinet, quænam actio & remedium juris creditoribus, ob convictum Academicum, competat. Actionem de in rem verſo, vel negotiorum geſtorum contrariam, contra patrem, hic, pro diverſa circumſtantiarum ratione, locum habere, ex antea dictis, conſtare, putamus. Quæ vero, contra ipſum ſtudioſum, inſtituenda ſit actio, inter ſe diſſident nonnulli Doctores. Vel ex ſtipulatu, vel præſcriptis verbis, experiundum eſſe, contra ſtudioſum, convictus cauſa obæratum, exiſtimat, cum SPECULATORE, *Tit. qui fil. ſint legitimi. n. 9.* MYNSINGER. *Cent. 1. Obſerv. 63.* Ab his vero diſſentit

HOPPIUS, *ad l. d. Locat. & Conduct. §. 4.* qui, præsens negotium, si quis, pro certo pretio, alterius mensa utatur, ad emptionem venditionem referendum, putat, adeoque, actionem empti venditi hic suppetere, innuit. Sed, primæ opinioni subscribens, alteram variis convellere rationibus studet autor *differt. de actione, ex convictu Academico competente,* quæ superiori anno, sub præsidio D. JOBI THILEMANNI, hac in Academia, publice ventilata est. Ubi ille, pro stabilienda sua sententia, potissimum urget, opsonatoris liberrimo relictum esse arbitrio, quanta & qualia esculenta & edulia apponere velit, indeque esse, quod, in præsenti contractu, nullum determinativum objectum, neque in re, neque in spe, neque potentia existens, inveniatur.

§. XXIII. Verum, quod, pace veniaque laudati autoris, fiat, vix illi assentiri hic possumus, propterea, quod a caupone omnino certum, ac pretio, aut promisso, aut jam soluto, adæquatum, ciborum genus, quantum singulis commensalibus, communi consensu, sufficere creditur, præstari debeat. Quis enim credet, convictores, quorum singuli, singulis septimanis, u. gr. duos Imperiales, pro cibatu & potione ordinaria, solvunt, fabis crambeque biscocta ac cerevisia secundaria, vel sequiori, quotidie contentos esse futuros. Quare hic, ubi sermo est, de rebus fungibilibus, genericam aliquam ciborum certitudinem, quæ pretio conveniat, sufficere, putamus, ad emptionem venditionem evincendam. Periculum vero hic non est emptoris ante, quam cibi & præparati & traditi sunt, quia res in genere, nec sine architriclini facto, empta hic intelligitur, adeoque non pure contracta esse censetur emptio, sed, sub conditione certi cujusdam facti, simul præstandi, confer. VOETIUS, *ad l. d. contrah. Emt. §. 3. n. 2.* STRUV. *Tit. de periculo & commodo rei venditæ, th. 98. seqq.* qui *lege 14. §. 1. D. d. periculo & commod. rei vend. & l. 35. §. 5. d. contrah. emt.* nituntur. Deinde, si, in causa præsenti, contractus innominatus admittendus foret, sequeretur inde, in eo casu, quem autor *dictæ differtationis*

§. 14.

§. 14. sibi ponit, posse opsonatorem etiam tum pœnitere, quando hospites, una cum sponso sponsave, ipso nuptiarum festo, accubitum ire festinant. Imo prætereà aliud adhuc succurrit argumentum, contra contractum innominatum. Notum est, contractus nominatos & innominatos usu & utilitate frequenti, aut infrequenti, potissimum distingvi, atque contractus innominatos rariores minusve frequentes olim fuisse, adeoque certas & consvetas formulas eis haud fuisse præscriptas, HUBER. *ad Inst. tit. de obligat.* §. 4. Quis vero, in tanta hominum multitudine, qui, igne suo & foco destituti, aliorum mensis, apud Romanos, utebantur, contractum, de convictu quotidiano, celebrandum, ad ea, quæ raro contingere soleant, referre vellet. Sed, velis hic contractis, quæ restant, data occasione, in ipso publico conflictu, expediemus.

§. XXIV. Ad rem studiosorum vestiariam nunc progrediemur, atque æs alienum, quod illius causa contrahitur, paucis considerabimus. Vestimentorum usum æque necessarium esse, ac cetera vitæ alimenta, extra dubium est positum, *l. 6. l. ult. ff. d. aliment. & cib. leg. l. 45. D. d. V. S.* Neque hanc rem simplicissimæ necessitatis terminis concludi oportet, sed vestes, pro ea, qua quisque studiosus fulget, dignitate, admittendæ sunt, *arg. l. 15. §. 2. D. d. usufructu & quemadmodum pet.* PEREZ. *ad C. t. d. Vest. Holoser. n. 10.* Cum vero sæpenumero vestimentorum ratio cum luxu sit conjuncta, multumque occasionis præbeat, opes dissipandi maximas, & in æs incidendi alienum, PUFEND. *diss. de Legibus Sumptuariis* §. 9. Malo itaque huic, grassanti, dudum Sapientissimi Principes & L Latores obicem poni, curarunt, atque, per leges vestiarias, ne Respublica, e vestimentorum luxu, detrimentum capiat, diligenter caverunt. Quo nomine in primis veneramur pieque colimus sanctiones Imperii, *in nova Reform. Polit. de Anno 1577. Tit. seqq.* &, in Saxonia, *Ordin. Polit. de Anno 1482.* §. und als die Kleidung, *de Anno 1612.* §. 5. die *Studiosi* auf denen *Universitäten*, *de An. 1661.*

Tit. 22. §. 6. usque 35. quas ſummatim ſiſtit Samuel Lufft, *in Repertorio Juris Saxon. voce* Kleider-Hoffarth, *p. 594.* Imo expediti juris eſt, etiam municipalibus civitatibus, quæ jus habent condendi ſtatuta, poteſtatem ſtatuendi, de jure veſtiario, quod ad cives & ſubditos attinet, competere, modo jus publicum atque commune non lædatur. Idem etiam magiſtratui Academico ſine dubio tribuendum eſt, ut, circa luxum veſtium ſtudioſorum & æs alienum, hoc nomine contractum, leges ponant, vel ſtatuta condant. Quemadmodum id, ex innumeris prope legibus Academicis, cognoſcere licet, *conf.* Klenii *diſp. de lege veſtiaria ejusque neceſſitate, c. 2. n. 12.* Strvvii *Diſp. de eo, quod juſtum eſt, circa veſtitum civium, Sect. 2. §. 7.* Knichen, *in opere politico, lib. 2. P. 2. S. 2. c. 2. th. 11. §. 4. p. 1046.*

§. XXV. Studioſos enim maxime decet mundus & honeſtus veſtitus, nam talis quisque præſumitur eſſe, qualem eum habitus demonſtrat, *c. 2. verſ. idem. d. Sentent. excomm. in 6. l. 15. §. 15. D. d. injur. l. 100. D. d. V. S.* conf. Jo. Matth. Meyfart. von Erbauung und Fortſetzung der *Academi*ſchen *Diſciplin &c. c. 16. p. 136. ſeqq.* Non piget, verba quibus utitur Rebvffvs, *in tr. de privil. ſtudioſ. priv. 94. p. 277.* hic afferre, *nam, ſi brevem veſtem,* inquit ille, *communiter in univerſitate ſcholaſticus, aliam habens, deferat, brevis ſenſus præſumitur, ſi pennam in pileo, & hunc levem præſumimus, ſi veſtes graves & gravibus & ſapientibus convenientes detulerit, ſemiſapientem eum præſumes, ſi veſtes tam politas detulerit, cum venereum, ſi vero veſtes gerat immundas, eum coquum, ſeu culinæ inſidentem frequenter, ſeu ſuo ſtudio inſiſtentem, ſub ſaturno tamen natum, non male arbitraberis.* Ac tametſi illi autori, juſto liberalius, a veſtitu ſtudioſorum argumentanti, non ubique aſſentiri queamus, memores illius, quod in hanc rem ſapienter ſcribat Seneca *ad Lucill. Lib. 2. epiſt. 47.* confer. Philippvs Camerarivs, *Cent. 2. horar. ſubciſiu. c. 39.* Tamen id negari non poteſt, veſtes ſæpius morum eſſe ſpecula, atque luxus, ambitionis voluptatisque indicia præbere. Quare in-

re interdum e re fuit Academiæ noſtræ, multa, contra luxum veſtium, earumque uſum, minus decentem, conſtitui. Ita in Legibus Academicis noſtris, Anno 1573. publicatis, *lege 6. de moribus.* longa veſte, ſive veſte demiſſa infra genua, pudoris tuendi cauſa, uti jubentur ſtudioſi, & paullo ante, in ſtatutis novis, de Anno 1562 ab ipſo Electore AVGVSTO confirmatis, Tit. von Schneidern, Pluder-Hoſen und andern Kleidern, in malos veſtium mores, pro rei gravitate, conſtitutis pœnis, invehuntur, his verbis, Dieweil auch die Pluder-Hoſen eine unflätige und ſchändliche Tracht, welche viel koſtet, und doch übel ſtehet, und weil die Jugend zu ſolcher Leichtfertigkeit Luſt hat, und die Eltern durch ſolche vergebliche, muthwillige Unkoſt dieſer ſchändlichen Kleidung, in Schaden geführet werden ꝛc. item: Denn es zumahl eine groſſe Leichtfertigkeit und Mißſtand iſt, ſo die Jugend in kurtzen Kleidern für ehrliche und züchtige Frauen und Jungfrauen gehet ꝛc. quae omnia repetita deinde ſunt, multoque graviora addita, in der Ordnung und Wiederholung etlicher Satzungen, belangend die Kleidung der Studenten in der Univerſität Wittenberg de anno 1568. De Academia Lipſienſi, confer. MELCHIOR *ab* OSSA, *Teſtament. p. m. 167. ilique* THOMAS. *n. 88.* in primis *p. 295. n. 141.*

§. XXVI. Quibus legibus, ſapienter a majoribus excogitatis, non ſolum luxuriæ, ſed & dilapidationi patrimonii, obviam itum eſt. Huc, præter cetera, pertinet, quod, cum, in decreto viſitationis, de anno 1624. tum etiam, recentiori memoria, in mandatis Regio-Electoralibus, de anno 1718. de cambiis ſtudioſorum, item ipſo hoc anno, eandem in ſententiam, dilucidius ſancitum eſt. Ubi, vi harum ſanctionum creditores, ni jure ſuo cadere velint, ſtudioſis ultra X. aut XX. florenos fidem habere, prohibentur. Quodſi ergo mercatores & ſartores aliique ſtudioſis, qui, contra ejusmodi leges, prohibentes, meliuntur, ſine conſenſu & præſcitu Magnifici Rectoris aut ephororum, &, qui eorum ſunt loco, merces crediderint, aut operas præſtiterint ſuas, neque pecuniam creditam atque mercedem,

cedem, quatenus legem excedit, consequentur. Verba supra allegata ordinationis de anno 1568. id diserte innuunt, Zum dritten wollen wir auch die Cramer hiermit abermahls angemahnet haben, daß sie denen jungen Gesellen ohne Vorwissen derer Præceptorn, oder denen sie befohlen sind, von Kram-Waaren nichts borgen, mit dieser wiederholten Verwarnung, da sie denen Studenten also borgen, und sie wegen der nicht Bezahlung verklaget würden, daß ihnen von uns, zu Erlangung der Bezahlung, nicht soll Föderung geschehen, noch verholffen werden 2c. Quanquam hoc, per supra commemoratas recentiores sanctiones, hinc inde mutatum esse deprehenditur. Nam ibi facultas, æris aleni contrahendi, ad certam summam reducitur, atque Rectoris consensus requiritur, si studiosi majorennes & sui juris dictam summam excessuri. Unde argumentari licet, æs alienum studiosorum, amictus causa contractum, omnino solvendum non esse, licet filii, in Academiam mittantur, nullius caræ mandati, sed sibimetipsi relicti, adeo, ut haud mediocris parentum culpa subesse videatur. Idem obtinere putamus, licet studiosus sui sit juris, liberamque habeat rerum suarum administrationem, atque ita, sine summo dedecore maximaque turpitudine, suum factum, in aliorum damnum infirmare, aut fidem fallere, nequeat. Horum enim neutrum a lege, generaliter, de omnibus studiosis, disponente, eximendum est.

§. XXVII. Hoc ita comparatum est, si quantitas debiti, legibus definita, excedatur, sin vero æs alienum, apud diversos creditores separatim factum, intra legitimam summam subsistat, plurimum interesse videtur, an studiosi sit sui juris suæque tutelæ, nec ne, si hoc, debitum vestiarium, quod ad merum luxum spectat, & a conditione studiosi, mercatoribus aliisque haud incognita, alienum, neque parentum, vel curatorum consensu approbatum est, haud solvi oportet, propter ea, quod, per leges nostrates, non luxui augendo, sed necessitati studiosorum, consultum esse, censetur. Nec, doceri posse, credimus, quod ad vestes studioso-

dioſorum, minus neceſſarias, & decentes, luxurioſasque, SCtum Macedonianum, per dicta mandata; penitus abrogatum eſſe. Imo, creditores ipſos actione potius, de ſervo corrupto utili, teneri, veroſimile eſt, *l. 14. D. d. ſervo corrupto.* Contra vero illi, qui nec poteſtati patris, neque curæ, ſubjecti ſunt, indiſtincte obligantur, &, quoad concurrentem ſummam X. aut XX. florenorum, ſolvere debent, debita ſive ſint neceſſaria, ſive minus. Sunt enim illi rerum ſuarum liberi moderatores & arbitri, nullumque juris remedium eis, contra creditores ſuos, proditum eſt.

§. XXVIII. Deinde hic prætereundum ſilentio non eſt, mercatores, qui jus exigendi debitum habent, non ſolum libros ſuos mercatorios, jurejurando interpoſito, confirmare, verum etiam, ſi minima fraudis adſit ſuſpicio, ſimul aſſerere debere, quod ſtudioſo merces vendiderit bonas & idoneas, vero pretio juſtaque menſura. Danda itaque hic eſt opera ab illo, qui, pro ſtudioſo, cauſam agat forenſem, ut fraus, vel dolus, detegatur, quippe qui, ſi probetur, creditoribus maximopere nocet. Ubi quidem, præter ceteros, ſartoribus jurandi onus merito imponendum eſſe videtur, ſi, præter operas ſuas, etiam multas alias res, ſua pecunia, ſtudioſorum nomine, emiſſe ſeſe jactent. Tum enim ea fraus ſæpius ſubeſſe ſolet, ut ſartores fragmenta, ex aliorum veſtibus conficiendis, ſibi injuſte addicta, aliis poſtea, veluti ſua pecunia comparata, vendant. Ceterum, quale operæ pretium ſartores, pro conficiendis veſtimentis ſtudioſorum, petere queant, non lege, ſed uſu, obſervantiaque & conſvetudine, definiendum eſt. Equidem non neſcimus, exiſtimare nonnullos, *arg. l. 3. C. de militari veſte*, ſtudioſum, pro veſte, ultra unum florenum, ſolvere haud debere. Deinde ſupra commemorata ordinatione veſtiaria, *de anno 1568.* etiam ſartoribus certa merces conſtituitur, ſub rubrica, Von denen Studenten-Kleidern. Verum quis hic ſibi perſvaderi patietur, hæc omnia conſvetudine hodie ſervari, *confer.* D. Ludovici, *in Obſervat. ad Rebuffum,*

 p. 118.

p. 118. §. 4. Quod reliquum eſt, de veſtimentorum variis generibus, quæ tamen, cum tempore & hominibus, multoties mutari ſolent, hic multa differere, ab inſtituto alienum eſt. Quod ad ſtudioſos attinet, utuntur quidem illi veſtibus, cum aliis hominibus in Rep. communibus, attamen, pro genere ac divitiarum & profeſſionis ratione, diſtinctis, quæ res interdum conſiderari meretur, ſi, de ære alieno, an illud neceſſarium ſit, an minus, quæratur.

§. XXIX. Sed tandem nunc, de ſtudioſorum gladio, quæri attinet, an ad veſtimenta quoque referendus ille ſit, ſi forſitan ejus gratia debitum contraxerit ſtudioſus. Negat hoc LAZARVS BAYFFIVS, *in tract. de re veſtiaria, c. 8. p. 575. in tom. VI. Grav. argm. l. 23. §. 1. D. d. aur. & arg. leg.* quod alia ſit veſtium, alia armorum, ratio. Verum nihiloſecius, ad veſtimenta ſtudioſi pertinere gladium, perſuaſum omnino habemus. Res enim, non ex moribus Latii, ſed Germaniæ, dijudicanda eſt. Non militiæ, ſed honoris cauſa, veluti in ſignum libertatis & ingenuitatis Germanicæ, noſtrates literarum alumni, homines togati, armati incedunt. Ita enim comparati ſunt mores Academiarum Germaniæ, uti ſtudioſum, ceteroquin ornate honeſteque veſtitum, ſine gladio, in publicum prodire, haud ferant, confer. TABOR, *in armamentario Juſtinian. p. 451. §. 15. ſqq. Vol. 1. opp.* Cujus rei origo ab antiquiſſimis Germaniæ moribus repetenda videtur. Penes majores noſtros, teſte TACITO, *de moribus Germ. c. 13.* armis ornari primus erat juventutis honos, hujus tamen honoris non omnes juvenes, ſed, qui Reipublicæ gubernandæ admoveri aliquando poterant, participes fieri ſolebant, confer. LIPSIVS, ad TACITVM, *c. l.* Tales vero ſine omni dubio ſunt ſtudioſi, arg. *§. ult. Prooemii Inſt.* add. D. THOMASIVS, *in notis, ad* D. MELCH. *ab* OSSA *Teſtament. p. 296. ſeq.* qui tamen originem rei a recentiori quodam inſtituto Patriæ repetit. E quibus omnibus nos confeciſſe putamus, jure Germanico, gladium ſtudioſi ad veſtimenta ejus pertinere, atque eodem jure, quod ad æs alienum attinet, cum veſtibus, cenſeri.

§. XXX.

§. XXX. De habitatione & museo studiosorum breviter nunc quoque, pro instituti ratione, dicendum est. Habitationis causa, haud raro æs alienum a studiosis contrahi, in Academiis, experientia docet. Sed ante, quam, de hoc ipso ære alieno, hic exponamus, operæ pretium est, quid habitationis appellatione potissimum contineatur, commemorare. Præter habitationem ipsam, quæ & studiosorum reculis, libris & suppellectilibus, sufficere, & ceteroquin nec sanitati, neque Musis infensa esse, videtur, huc referimus omnem supellectilem opportunam, omnesque res, quæ ad hypocaustum vel instruendum, vel quoque exornandum, pro studiosorum ratione, quovis tempore pertinent, aut, sine quibus, habitatione ipsa studiosi minus commode uti possunt. Nec obstat, quod ab habitatione, ad supellectilem, argumentari non liceat, *l. 13. ff. d. Supellect. leg.* Imo distinctis titulis, in π. de utraque re agatur. Sed res est in salvo. A diversis nullum valet argumentum, inter habitationem legatam, & museum studiosi, plurimum intercedit differentiæ, alterumque altero latius patet. Etenim moribus Academicis receptum est, ut hospites hypocausta, locari sveta, ejusmodi rebus, de quibus diximus, instruere soleant ac debeant, & quidem alias plenius, alias tantum modice, & pro simplici necessitate, quemadmodum id vel consvetudine communi, aut privata, vel singulari conventione, definitum est. Ex adverso aliis conductoribus, præter vacua hypocausta, nihil amplius præstandum est. Verum studioso, conductori, uti diximus, ex communi usu, ad minimum unum repositorium librorum, lectum ligneum, unam aut duas mensas, cum aliquot sellis ligneis, simul concedi oportet, licet vili ac parva conduxerit mercede habitationem suam. Si vero instructiorem vel ornatiorem supellectilem desideret studiosus, nisi id jam hospitis consvetudini domesticæ, vel mercedi promissæ, conveniat, initio contractus, sigillatim hoc nomine debebit conveniri.

 §. XXXI.

§. XXXI. Hanc, in sensu latiori sumptam, habitationem alimentis quoque contineri necessariis, extra dubium est positum, *l. 6. D. d. aliment. & cibar. legat.* Quare, quæ supra, de alimentorum determinatione, diximus, ad habitationem quoque commode pertinere possunt, &, qui æs alienum, alimentorum causa contractum, solvere debet, ille etiam, pro habitatione, tenetur, etiamsi, ob suppellectilem, studioso simul concessam, paullo plus mercedis exigatur. Siquidem, uti supra, de alimentis, asseruimus, res hic non ex simplici necessitate, sed honestate & decoro, spectanda est. Ac tametsi æquitas non postulet, ut studiosis habitatio gratis concedatur, tamen in arbitrio hospitis locatoris non est, quantum pecuniæ, pro usu hypocausti concesso, exigere velit. Sed, si studiosus novitius, qui loci consvetudinum ignarus est, ab hospite ultra dimidium læsus fuerit, agere ille potest ex *l. 2. C. d. Rescindend. Emtione-Venditione.* Quinimo, si quantitas mercedis, per statuta Academica, vel civitatis, determinata sit, aut dolus hospitis concurrat, ob minimam quoque læsionem, studioso actionem competere, arbitramur, quemadmodum antiquis Academiæ nostræ statutis, cum ipso senatu oppidano communicatis, & anno 1562. puclico propositis, sub Rubrica, Von Hauß-Miethung und Stuben-Zinß, hæc disposita sunt, dieweil auch geklaget wird, daß übermäßiger Zins, von Vermiethung der Häuser und Stuben, von vielen genommen werde, haben sich die Universität und der Rath verglichen, alle Stuben zu besichtigen, und, einen gewissen mäßigen Zins darauff zu setzen, und wer denselben erhöhet, soll des Zinses verlustig seyn, welcher der Obrigkeit gereichet, und darüber in gebührlicher Straffe genommen werden soll. Qualis vero illa tum temporis facta fuerit mercedis determinatio, nobis non constat. Hodie plerumque utriusque contrahentium consensu, certum quoddam pretium constituitur. Ubi quidem, si a studiosis paullo plus, quam ab aliis, sumatur, nihil iniquitatis subesse videtur, propterea, quod studiosi, ut supra diximus,

mus, nonnullam supellectilem semper accipiunt, multoque citius habitationes suas mutant. Quoties vero hoc contingit, toties quoque nonnulla refectione, ac minime parietum dealbatione, opus est. Vt silentio hic alia prætereamus incommoda, quæ in Senatus quodam Academici Consulto, sub *Rubric.* Warnung von vielfältigen schädlichen Borgen zu vermeiden, his innuuntur verbis, Auch der Stuben-Zinß alle Qvartal, oder aufs längste alle halbe Jahr den Wirthen, bey denen sie wohnen, welche nicht mit geringer Beschwerung, auch Feuers-Gefahr, sie in ihren Häusern dulden, entrichten.

§. XXXII. Justum itaque omnino est & æquum, ut, debito tempore, locationis merces solvatur a studiosis, vel iis, qui his debent præbere alimenta. Sin fiat secus, non solum communia locati conducti remedia juris in promptu sunt locatori, verum etiam specialia nonnulla prodita sunt, in supra adducto mandato Regio, ipso hoc anno promulgato, ubi, præter cetera in hunc modum sancitum est, Sondern auch jeder Studiosus alle Viertel-Jahre (quod tamen paullo post mutatum in bimestre spatium) dem Hauß-Wirthe &c. zu befriedigen schuldig seyn, und dazu angehalten, ingleichen von keinem Hauß-Wirthe aus der Bürgerschafft über ein Viertel-Jahr (de tempore prorogato mox dictum est) nachgesehen, oder im wiedrigen ihm zu seinem Rechte nicht verholffen, daferne aber der Sudiosus seine Stube &c. deshalber zu verändern suchte, er vom neuen Hospite nicht eher, als bis er, daß vorige richtig bezahlet, von demselben mündlich oder schrifftlich versichert, angenommen &c. &c. werden soll.

§. XXXIII. Inter remedia, jure Romano, locatori concessa, illud quoque est, quod locator, in rebus conductoris, illatis, tacitum pignus habeat, *l. 4. Quib. caus. pign. vel hypoth. tac. contrah. l. 9. eod. l. 5. C. de Locato Conducto. l. 4. pr. D. d. pactis.* Data hic occasione, haud incommode quæritur, an idem in studiosorum rebus ac libris, illatis, obtineat. Ingentem hic offendimus Doctorum dissensum. Quod in

quæstione nobis hic est, ex instituto negat Rebuffus, *privil. 19. p. m. 85. sqq.* Schneidewin. *ad Instituta*, §. 7. *d. actionibus*, *n. 43.* Harprecht. *eod. n. 18. sqq.* Matthias Stephanus, *tract. de Academiis*, *c. 10.* §. *41. p. m. 156. seqq.* Scipio Gentilis, *dissert. de jure singulari studiosorum, th. 40. Inter disputationes de jure publ. Populi Rom. edita.* Hos juvare duplex juris ratio videtur, quod argumentari liceat, ab armis militum ad libros studiosorum, de illis enim constat, alienari ea non posse, *l. 3.* §. *13. l. 14.* §. *1. D. de re militari L. 2. in fin. D. d. captivis.* Ab alienatione vero, ad oppignorationem, valet consequentia, *l. 9.* §. *1. D. d. pignoribus l. 1.* §. *2. D. quæ res pign. vel hypoth. l. ult. C. d. rebus alien. non alienand.* Deinde, quod non præsumatur, studiosos libros suos, quibus quotidie utuntur, & quos amant, ut propriam uxorem & amasiam, quemadmodum loquitur Rebuffus, l. c. obligaturos fuisse, *arg. l. 6. D. d. pignor. l. 1. C. quæ res pign. &c.* Tandem argumentum quoque ducunt, ex *Auth. Agricultores, C. d. t. & ex Auth. Habita 6. Ne fil. pro patr.* Sep nihilosecius supellectilem librariam studiosorum, pro locationis mercede, tacito pignori obnoxiam esse, affirmat Carpz. *P. II. C. 25. Def. 20.* Wissenbach. *ad D. disp. IX.* §. *17.* Vinnius, *de pactis*, *c. 12. n. 9.* Struv. *Exercit. 26. th. 16. num. 3.* Engelbrecht. *ad D. in quib. caus. tac. contrah. &c. th. 6. n. 5.* Cocceius, *Iure controverso Civili, P. II. q. 15. Tit. eod.* Philippus, *ad Inst. L. IV. Eclog. 46. n. 10.* & alii, quos in partes vocat Schoepff. *ad ff. Tit. Quæ res pign.* Hi partim ad usum forensem provocant, partim illis nituntur juris momentis, ut non tam librorum studiosorum singularem favorem negent, quam potius legis defectum, id privilegii studiosis largientis, urgeant, partim ab executione, *l. 40. D. d. re judicata l. 4. C. d. executione rei judicatæ*, argumentum ducunt, & saltem, in subsidium, studiosorum libros hypotheca tacita teneri, volunt.

§. XXXIV. Negantium argumentum 1.) multum roboris habere videtur, siquidem valide omnino passim in ju

re ar-

re argumentamur, a militia armata, ad togatam, conf. OLDENDORP. *in Topica legali, p. m. 166.* Nec obstat, quod studiosi libros suos libere vendere queant, quemadmodum, contra REBVFFVM, tuetur RHODIVS, *in diss. de libris Eruditorum, c. 2. n. 44. seq.* Respondetur, ex facultate alienandi, aut expresse oppignorandi, minus recte infertur hypotheca tacita. Deinde Reipublicæ, cui discunt studiosi, magnopere interest, ut librorum alienationes, in primis necessariorum, quoad fieri potest, impediantur. Inde est, quod, legibus Academicis, oppignoratio librorum nonnunquam prohibita sit studiosis, quemadmodum, de Viadrina, testatur RHODIVS, *l. c. c 4. n. 37. sqq.* Odiosum quoque est æs alienum studiosorum, neque hujus intuitu creditores, quorum culpa hic raro abest, privilegiis quibusdam dignos habemus. Nec credimus, exemplum aliquod afferri posse ejusmodi hypothecæ legalis, ubi, contra creditorem odium quoddam singulare, pro debitore vero ejusve rebus, multum favoris pugnare, atque facere, videatur. Argumentum 2.) erroneum est, siquidem legalis hypotheca non tam ex voluntate præsumta conductoris, quam ex legis dispositione, immediate fluere debet, conf. LVDOVICI, *ad Rebuffum, d. l. p. m. 27.* 3.) argumentum a rusticis & agricultura, ad studiosos & literas, in jure nostro, æque, ac primum, comprobari, merito dubitatur. 4.) vero nimis longe petitur a secura habitatione, licet dictæ authenticæ ceteroquin omnino congruat, &, adhibita interpretandi arte, elici posse videatur.

§. XXXV. Nec affirmantium argumenta omni sunt exceptione majora, & quidem nos, exquisitiores juris rationes requirentes, usum fori, tyrannidem sæpius in analogiam juris, vix admittendum esse, censemus. Deinde, generalitatem *l. 4. D. in quibus causis pignus &c.* eo valere, haud putamus, ut exceptionem aliquam, fortissima ratione nixam, respuat. Ab executione denique non adeo quidem incongrue argumentantur, modo id fiat ab armis militum,

non

non vero ab instrumentis rusticorum. Nos, hac re ultro citroque spectata, atque rationibus utrinque subductis, ob ipsam publicam utilitatem, id & juri, & privilegio studiosorum, consentaneum omnino esse, arbitramur, ut, præter necessarios libros, & collegia manuscripta, nihil eorum, quæ in studiosorum supellectile sunt, a nexu legali pignoratitio eximendum esse videatur, sicuti, ne in subsidium quidem, ejusmodi necessaria militum togatorum arma, quibus contra inscitiam, infensissimum studiosorum hostem, dies noctesque dimicandum est, ex judicato capi poterunt, confer. NEGUZANTIUS, *de pign. membr. 3. n. 49.* MANZ. *in Patrocin. debit. Dec. 4. qu. 5. n. 16. sqq.* REBUFF. *privileg. 113. c. 8. n. 19.* STRYK. *Controvers. Select. Disp. 11. th. 29.* Hæc cum a nobis jam scripta essent, in manus venit *disp.* TENZELII, *de hypotheca tacita, quatenus libros studiosorum afficit, Erfordiæ 1721. habita*, sed, ea perlecta, ab illo nobis orationem ex ore ereptam esse, nondum intelligimus, ideoque sententiam nostram nullibi mutamus.

§. XXXVI. In Saxonia nostra, per ordinationem judiciariam, recognitam, res est expedita, ibi enim, *Tit. 45. §. 1.* omnes hypothecæ tacitæ sublatæ sunt, & *in fin. §. 4.* locatori jus retentionis, in rebus conductoris illatis, relinquitur. Huic non absimile jam olim, hac in Academia, aliquod constitutum fuisse, ex supra commemoratis statuis, de anno 1562. colligimus, sub Rubr. von Haußmiethung und Stuben-Zins. ibi, Es sollen auch die Studenten verpflichtet seyn, dem Wirth die Stuben wieder also auffzulassen, wie sie die angenommen und besessen, und an Fenstern, Ofen, Bänck und Thüren ꝛc. nichts zuschlagen, noch zubrechen, auch nicht ihren Suppellectilem aus dem Hause zu tragen, es sey denn das Miet-Geld zuvor dem Wirth erlegt, bey willkührlicher Straffe. Statuto hocce Academico plus, simplici retentionis jure, contineri, nemo non videt. Etenim, vi ordinationis recognitæ, hospes, donec merces locationis soluta sit, studiosi quidem supellectilem retinere potest, verum ante, quam ipsa retentio actu, u. gr.

per

per præclusionem, manus injectionem, fiat, nullum pignoratitium jus nanciscitur hospes, si forte exportata sit semel supellex, etiamsi hoc clam fiat, quia jus retentionis privata quadam exerceri potest autoritate, adeoque non, nisi vigilantibus, competit. Verum, in nostro statuto, idem jus jam constitutum, & præterea ex parte quoque studiosi, conductoris, præcepto quodam prohibitivo, de non exportanda supellectile, adjecta simul pœna arbitraria, munitum est. Quam dispositionem, per supra adductam sanctionem communem Saxonicam, sublatam esse, non putamus, propter ea, quod illa non tam hypothecæ alicui legali, quæ ex illo statuto non probatur, quam potius juri retentionis, veluti accessorium, adjecta sit. Confirmato itaque principali, accessorium quoque confirmatum censetur.

§. XXXVII. Hoc jus retentionis locator non solum, ob mercedem, non solutam, exercere potest, verum etiam, si deteriorem reddiderit habitationem, culpa sua, studiosus, inquilinus. Eo enim antea extendebatur tacita hypotheca *l. 2. D. in quib. caus. pign. vel hypoth.* ergo nunc etiam jus retentionis, quod illi surrogatum est, in primis, cum retentio illo casu æquitati congruat. Itaque studiosus, si inter publicos tumultus, de candela extinguenda, clametur, ille vero eam non extinxerit vel seposuerit, fenestrarum, per lapides corruptarum, damnum restituat. Porro, si ab inimicis lapides in fenestras conjiciantur, arg. *l. 25. §. 4. D. Locati Conducti*, idem quoque obtinet. Quæ huc dum diximus, pleraque ad mercedis solutionem pertinebant, sed haud raro sermo esse solet, de parte tantum solvenda, vel minus, si nimirum, ante tempus conventum, ex improviso finiatur locatio conductio, sive conductoris, sive locatoris causa, id contingat, vel alio fiat casu, u. gr. propter ingruentem pestis, belli, famis, calamitatem, item ob periculum, ab ædibus ruinosis, certe metuendum. Ubi, pro rata temporis, pensio remittenda est, *l. 28. d. damn. inf. l. 49. §. 1. ad L. Aquil.*

F *l. 13.*

l. 13. §. 7. l. 27. §. 1. l. 55. §. 2. Locat. Conduct. Habn. ad Wesenbec. d. t. Ceterum hic quoque a nonnullis ventilari solet quæstio illa, an studiosus cedere debeat habitatione viduæ & liberis, illa indigentibus, quod affirmat PINGIZERUS, *Quæst. Sax.* confer. KNICHEN. *in Opere Politico p. 1049.*

§. XXXVIII. Quid vero dicendum, de metu spectrorum, an, si hujus causa studiosus habitationem forte deserat, integram solvere ille debeat pensionem. Cum COVARRUVIA, negat BECHMANNUS, *c. l. c. 6. n. 13.* Quod spectra frequentia animo studiosi terrorem injicerent, ut non posset secure habitare & spartam suam, ut decet, ornare. Verum contraria huic assertioni esse videtur hypothesis Dni THOMASII, qui, singulari disputatione, *de non rescindendo contract. conductionis ob metum spectrorum*, de existentia spectrorum, ædes infestantium, valde dubitat, metumque spectrorum, etiamsi ea concederentur, tamen vanum esse, & in virum constantem non cadere, affirmat. Quibus addendum videtur, quod, superstitione, nihil indignius sit studioso, sapientiæ cultore. Sed nobis, quo minus Illustri Dno THOMASIO hæc omnia assentiri queamus, multa obstant. Etenim, ad infirmandam ejus sententiam, satis est, quod ipsemet, *§. 11.* existentiam spectrorum concedat. Distinctio vero, qua, *§. sequ.* utitur, inter spectra, ædes infestantia, & in eisdem tantummodo apparentia, nullius momenti esse videtur. Quis enim non crediderit, spectra, solo etiam visu & auditu, maximum hominibus terrorem injicere, nec ceteroquin opus est, ut omnia in ædibus sursum deorsumque evertant. Adeoque non videmus, quomodo spectrorum metus indistincte vanus, &, qui ne in feminas quidem constantes cedat, appellari possit. Quanquam de cetero id negandum haud est, probandam semper esse apparitionem spectrorum a conductore. Ubi tamen plurimum arbitrio judicis relinquendum erit, qui circumstantias conjecturasque, vero haud absimiles, admittere potest. Nec est, ut queratur

loca-

locator, de mercede diminuta, quippe qui ipse sæpius in dolo est, si forte jam antea, habitationem a spectris interdum infestari, sciverit. Et, si vel maxime in dolo non sit, nihilominus tamen studioso licebit, habitationem, ob ejusmodi metum tetrarum imaginum nocturnarumque illusionum, deserere, quia ibi nec secure habitare potest, neque studiis operam navare.

§. XXXIX. Quod si vero studiosus aut habitationi abutatur, aut ita se gerat, ut tolerari amplius nequeat in ædibus, tum sane expelli potest ille, autoritate Rectoris, integra mercede soluta, u. gr. si mulieres & puellas illaudatæ famæ & vitæ inducat, *l. 3. C. d. Locat. Conduct. Novel. 14.* Ferendi enim non sunt, qui apud REBVFFIVM, *Privil. 20.* existimant, studiosis, veluti privilegium, competere, ut illis liceat puellas secrete in cubiculum inducere. Hoc enim ipsum privilegium, veluti spurium, recte damnatur, & potius maleficium appellatur, conf. LVDOV. ad REBVFF. *d. l.* ubi omnino recte asserit, §. 5. posse quoque scholarem, ante tempus finitum, recedere, si locator meretrices alere, ipso invito, incipiat. Vbi sane partem mercedis etiam detrahere licebit. Deinde studiosum, qui fistulando, altiori voce cantando, vel clare legendo, vicinis studiosis molestus sit, ante finitam conductionem, emigrare debere, cum ZASIO & aliis, arbitratur GOTHOFREDVS, *ad L. 3. C. d. Locato Conducto, n. 11.* Id quod sine dubio ad similes & majores casus producendum erit. De cetero, ad quod tempus locatio & relocatio tacite hic Vitembergæ inita esse censeatur, vid. BEYER, *ad π. p. 362. lit. d.*

§. XL. De lecto, ligno ac rebus, simili modo necessariis, separatim hic quæstio succurrit, an studiosus, si lecti usum, qui illi soli locatus est, etiam aliis simul concedat & illos penes se dormire sæpius patiatur, majorem mercedem solvere debeat. Quod affirmatur, videlicet in compensationem damni, quod alioquin pateretur locator, quoniam sine dubio lectus a duobus magis, quam ab uno, atteritur citiusque laceratur. Plus vero

integra conventa mercede, solvi oportere, non putamus. Deinde quæritur, an studiosus, qui alteri simultaneum hypocausti usum gratis concesserit, pro lecto quoque mercedem in dubio solvere teneatur. Quod ideo negandum esse videri posset, quia locatio conductio tacite non contrahitur, *§. 1. I. d.. Locat. & Conduct. l. 23. D. communi dividundo* BRVMMERVS, *de Locat. Conduct. c. 3.* §. 2. Sed, cum hæc fallantur, si lege, moribus, aut consvetudine patrisfamilias, merces quædam certa jam sit constituta, *arg. l. 37. D. contrab. Empt.* confer. HARTMANNI *disp. de tacita Locat. Conduct. ipso hoc anno Jenæ habita.* Itaque præsens quæstio ideo potius negatur, quod habitationis beneficium, alteri concessum, sine expressa conventione & promissione, ad lectum extendi, non conveniat. Quare ab illo, qui lecto usus est, mercedem peti oportebit, actione præscriptis verbis, *l. 22. D. de præscriptis verbis.*

§. XLI. Porro ad æs alienum studiosorum, necessarium jure meritoque supra retulimus illud, quod ex adversa valetudine resultat. Quæstio BALDI, an alimentorum appellatione pharmaca semper quoque contineantur, aliena hic est. Dubio enim caret, officium parentum, qui filium, studiosum, alere debent, id etiam complecti, ut, quod valetudinis, aut conservandæ, aut recuperandæ, causa, expendendum est, solvant. Id quod generatim asserendum esse putamus, sine omni morborum distinctione, sive illi familiares sint studiosis, de quibus videsis ABELII *Libellum* von Studenten-Kranckheiten, sive communes, sive culposi, sive casuales. Nec distingvimus ipsa medicamenta sive præservatoria sint, sive curatoria. Sed ea potius sensu generali hic sumimus, ubi omnia illa admittenda esse videntur, quæ, ad conservandam tuendamque corporis sanitatem, quovis modo apta sunt. In primis vero studioso, si conditio ejus id ferat, modicus vini cujusdam generosi potus, medicinæ instar, permittendus est. Vino enim ea inest virtus ac bonitas, ut non solum corporis optimum

mum

mum esse credatur medicamentum, verum etiam in ipsum animum suas exerat operationes, & homines *ingeniosos. sapientes & acutos* reddat, vid. Frid. Hoffmanni *disp. de natura & præstantia vini Rhenani in Medicina, c. 6. p. 40. sqq.* Præter vinum, ad studiosorum medicinam quoque pertinere potest usus acidularum, herbæ nicotianæ (*idem Autor, in clau. pharm. lib. 4. S. 1. §. 239.* Casp. A Reies, *in campo Elysio &c. q. 57. n. 45.*) & res similes, quæ studioso, si malo hypochondriaco, & aliis morbis, laboret, prosunt, u. gr. si medicorum suasu, animi recreandi, vel corporis movendi, causa, interdum equitet. Quodsi hoc nomine æs alienum contraxerit, ad necessarium id pertinere, existimamus.

§. XLII. Hæc de ære alieno, ob vitæ necessitatem, contracto, dicta esse sufficiant, restat nunc quoque, ut de illis dicatur studiosorum debitis, quæ, ab institutione & rebus, eo pertinentibus, proficiscuntur. Ubi quidem palmaria illa quæstio expedienda venit, quo jure honoraria sua petere possint Doctores a studiosis. Honorarium diximus, adeoque, rem suo singulari nomine appellandam esse censuimus, legum autoritate adjuti, *l. 1. pr. D. Si mensor falsum modum dixerit, l. 1. §. 10. D. d. extraord. cognitionibus.* Liberales enim artes mercedem, non æque honorarium, aut salarium, respuunt. Quoniam, quod datur Doctoribus, pro informationis opera; non tam compensandi, quam grati animi testificandi, causa, eisdem solvitur. Siquidem, quod in studiosum hic confertur, ob artium & disciplinarum, gravitatem ac dignitatem, nulla certe mercede æstimari potest. Nec obstat, quod Ulpianus honorarium hoc etiam mercedem appellet, *d. l. 1. §. 13. D. d. extraord. cognit. l. 19. §. 1. D. d. donationibus,* & alibi passim. Etenim mercedis nomen interdum commune est, & tam vilium opificum, quam liberalium artium, remunerationem significat, sæpiusque improprie sumitur. confer. Franzk. *ad π. Locat. Conduct. n. 58. sqq.* Hahn. *ad* W. *d. t. n. 5. in fin.* Heraldus, *Animadvers. in* Salmasii *Observat. ad jus Atticum, L. 5. c. 20. n. 2. 8. 9.* Brummerus, *Exercit. de Locat. & Conduct. c. 3. §. 12.* Indeque esse pu-

tamus, quod vocabulum mercedis, cum salario, *in l. 6. C. de Prof. & Med.* conjungatur. Quomodo vero salarium a mercede, honorario, præmio, stipendio, differat, leg. P. GEORG. THOLOSANUS, *in Syntagm. Iur. univers. P. 3. L. 27. c. 2.* BESOLD. *Thesaur. pract. voce* Besoldung, *in addit.* DIETHER. De cetero hic assentiri non possumus, *b. m.* BEYERO, qui, *ad l. tit. de mandat. pos. 4. lit. k. & tit. de Locat. & Conduct. posit. 11. ibique lit. c.* asserit, mercedem etiam in artes liberales tum cadere, si, de certa quantitate, solvenda, convenerit. Quis enim hic non videt, mercedem, ab honorario, eo potissimum differre, quod in illa, cum operis, semper adesse debeat proportio & convenientia. Honorarii vero licet certa quantitas sit promissa, ea tamen rei & operæ pretium non exæquat, quippe quæ æstimationem non recipiunt, nec pretio numario æstimari possunt, *l. 1. §. 5. D. de Prof. & Medicis.*

§. XLIII. Quare inde quidem constare, credimus, summæ consentaneum esse æquitati, ut, pro navata, in docendo, opera, nonnulla largitio & compensatio fiat Præceptoribus. Sed miramur æque legem Cinciam, cujus meminit TACITUS, *Lib. XI. Ann. c. 5.* Hacce lege, in quam ex instituto commentatus est BRUMMERUS, nefas erat advocatis, ob causam quandam, donum munusque capere. Ac tametsi hujus legis sententiam, ad omnes omnino liberales artes producere nolimus, haud tamen obscure collegimus, ex supra adducta *l. 1. pr. D. si mensor falsum modum dixerit*, operam, in artibus liberalibus, alicui præstitam, beneficii loco, habitam fuisse, ubi non, nisi ad ἀντίδωρα, obligatio aliqua naturalis adesse intelligebatur. Imo *l. 1. §. 4. & 5. D. d. extraord. cognit.* dicitur, Philosophiæ ac juris Civilis Professoribus omni jure quidem aliquid honeste accipere licere, petere tamen esse minus honeste, addita ratione, quod Philosophos primum hæc profiteri oporteat, *mercenariam operam spernere*, &, quod sapientia civilis nullo pretio numario dehonestari debeat. Verum, quis hic, sibi persuaderi, patietur, aut contra honestatem esse, aut literarum dignitati

tati derogari, si, qui liberales artes profitentur, unde vivant, labore hoc suo honesto sibi quid acquirant. Siquidem artes liberales in acquirendi modos tum omnino incidunt, si cultores earum non habeant, quo se ac suos alere queant, neque illis sua diligentia damnosa esse debet, arg. *l. 7. D. testam. quemadm. aper.* confer. QVINTILIANVS, *Lib. XII. Inst. Orat. c. 7.* ubi sat eleganter in hanc sententiam edisserit. His ac similibus rationibus adductus Imp. CONSTANTINVS, *l. 6. C. d. Prof. & Med.* præter ceteros, literarum & Juris professoribus mercedes ac salaria reddi, jussit, ita, ut, quod antea, in *l. 1. ff. de Extraord. cognit.* in gratiam literarum, dispositum, est, nunc quoque ad omnes professores, cum philosophiæ, tum juris Civilis, pertinere videatur, adeoque plane dubitandum non est, quin hoc nomine jura quoque actiones aliquas, paullo post a nobis commemorandas, prodiderint.

§. XLIV. Diximus hactenus generatim, de æquitate & jure perfecto honorari solvendi, pro institutione, in artibus liberalibus. His nunc subjungemus specialem rei contemplationem, ac breviter commonstrabimus, quomodo aliqua hoc nomine obligatio, ex parte studiosi, inducatur. Sine consensu illius, hoc fieri, nemo, credimus, asseret. Non tamen ubique requirimus expressum consensum, sed, interdum quoque, aut tacitum, aut præsumptum sufficere, verum est. Et quidem ideo consensu opus est, ut nimirum, de voluntate studiosi, constet, quod hic alicujus opera & institutione uti, seque hoc nomine ad certam aliquam præstationem vicissim obligare, velit. Ceterum requirimus hic, sicuti in aliis contractibus, & similibus conventionibus, liberum omnino auditoris consensum, ita tamen ut, metum aliquem reverentialem eidem obstare, non putemus, modo omnis concussio & minæ graviores procul absint. Quod fieri non intelligitur, si aut docens, aut alius, pro illo, per administros, aut famulos, circum circa, si non ostiatim, tamen vicatim, dimissos milites togatos cogat, adjectis libera-

beralissimis, vanis licet sæpe, pollicitationibus, de patrocinio suo, egregio, aut minabundus multo dicat, de juvandi, aut nocendi, occasione & potestate &c. Consensum vero liberum multis modis declarare potest studiosus, u. gr. si, cum ceteris commilitonibus, nomen suum in schedula quadam, quam vulgo vocant den Collegen-Zettel, scripserit, aut, si per aliquod temporis spatium, lectiones frequentaverit, & indubitata consensus sui, ipso facto, indicia præbuerit. Quæritur inde, an ex dicta schedula executive, contra studiosum, vel ejus patrem, agi possit. Res nonnullis dubiis obnoxia esse videtur. Licet enim inde satis luculenter appareat, quæ sit causa debendi, quantum, cui, a quo, quando, solvi debeat. Quoniam tamen hæc obligatio, sub conditione, si nimirum Docens quoque præstiterit, quod pollicitatus est, inita censetur, ideoque executivum hic processum aut differri paullisper, aut penitus cessare, arbitramur, nisi existentia dictæ conditionis & implementum peræque in continenti probari possit. Ubi quidem optima est cautio, si docens, a studioso chirographum, cui simul mentio implementi secuti inserta sit, sibi dari, curaverit. Tum sane maxima probandi vis huic documento inest, quæ nulla exceptione infirmari queat a studioso.

§. XLV. Quod uero ad patrem attinet, valde obstat, quod hic in instrumento plane non sit scriptus. Neque enim scripto contineri videtur pater, vel ob personarum unitatem, quæ inter eum & filium intercedit, vel ideo, quod studiorum sumptus subministrare debeat, & pro filio solvere. Siquidem ex his argumentis tantummodo id conficitur, patrem obligatum esse, non vero, illum eo processus genere, quod executivum appellamus, conveniri posse. Quoniam, ex ipso illo documento, in contienti non constat, quod ille pater sit, adeoque multis dubiis & exceptionibus occasio superest, quæ omnino ab indole processus executivi abhorrent. Itaque pater conveniri quidem potest, sed non executivo processu. Quodsi autem filius studiosus peculium habeat,

habeat, pater tum non, nisi in subsidium, teneatur, atque exceptione excussionis, sive ordinis, tueri sese potest, *arg. l. 1. D. d. in rem verso.* Quemadmodum vero sine dubio plurimum juvat exceptio non secuti implementi, si lectiones, culpa docentis, ad finem non sint perductæ, aut ille muneri suo penitus defuerit, histrionem egerit, aut more comito & circumforaneorum se gesserit, (non omnis enim lepor, in docendo, vituperari meretur, modo non sit scurrilis, sed ad excitandos auditorum animos aptus, confer. in hanc sententiam, FRANCISC. VAVASSOR, *de ludicra dictione Veterum, Lutetiæ Paris. 1658. in 4.*) aut, loco solidæ & eruditæ institutionis, puerorum elementa, & quidem sub specie insignis artis criticæ, tradiderit, perpetuas narraverit historiolas obscoenas & ministrorum ecclesiæ aliorumque existimationi derogantes, item si vitæ suæ scholasticæ & umbratilis curriculo dicta illustret, auditores, puerilibus occupatus negotiis semel iterumque ac sæpius dimiserit & non legerit, si disciplinas & artes liberales, velo nimis levato, & cursoris publici instar, brachio justo leviori, tradiderit, si in lectionibus suis non nisi nugas & summum vendiderint, qui vulgo Wind-Macher audiunt, &c. add. GERARDI JOANNIS VOSSII elegantissimus libellus, *de cognitione sui, p. 31. seqq.* Prodiit hic libellus *a. 1654. Amstelod. in 12.* & postea in Germ. idioma translatus, *a. 1712. Quedlinburgi.* Sed m. f. & audaciam illius, qui transtulit, mirari satis non possumus. Hic enim, quæ in prima editione, a p. 31. usque ad p. 39. dicta sunt, temerario ausu, præcidit, ita, ut in germ. editione, p. 31. sqq. frustra illa quæras, quorum gratia VOSSIUS a nobis in partes vocatur. Quare operæ pretium est, verba non nulla omissa, hic apponere. *Hinc jam venio ad professores Academicos:* (inquit ille Autor, *p. 34. seq.*) *quos non inscite a doctissimis hominib. in tria video genera dispesci; apes, fucos, crabrones. Apes gignunt mel fragrans: & tum hujus alimonia auditores pascunt, tum odore ejus multos sagacioris naris ad Academiam, pelliciunt, præcipue si aureis ingenii doctrinæque monumentis illu-*

ſtrem ſibi, pariterque Academiæ, atque adeo patriæ famam pariant. Fuci, favore magnatum, in ordinem profeſſorum allecti indigni, non de bonore Academiæ ſolliciti ſunt; ſed duntaxat de commodis, quæ ex ea dignitate percipiunt. Crabrones invidia lacerant præſtantium collegarum famam, ut ſic ipſi quidem videantur, quod non ſunt, ac præclaræ illæ animæ non videantur, quod ſunt. Nunc qui te pulcro Profeſſorum ordini inſertum prædicas, attende quæſo, num in apibus, fucis, an crabronibus, nomen merearis. add. MELCHIOR von OSSE, *Teſtament, &c. P. 2. c. 6. ſeqq. ibique* THOMASIVS, MEYFART. *l. c. lib. 1. c. 14. p. 111. ſeqq.* ubi multa, ſcitu neceſſaria, offendes.

§. XLVI. Ita tamen ex adverſo nunc quæritur, ſi caſu, ac ſine culpa, u. gr. adverſa valetudine, aut ipſa morte, docens fuerit impeditus, quo minus lectiones abſolveret, an vel integrum honorarium nihilominus peti, vel pars jam ſoluti repeti, poſſit, condictione indebiti. Ad primum affirmandum, conferre plurimum videtur, quod honorarium Doctoris operam non æquet, neque hujus, per illud, compenſationem fieri aliquam exactam, adeo, ut ipſi illi profectus, quos, per breve temporis ſpatium, auditor jam fecit, aut facere potuit, tanto honorario, quod pro integro collegio, promiſſum eſt, digni omnino ſint. Id quod in Collegiis, quæ vocant, privatis, præprimis locum habet, ubi a multis ſingulis virilis aliqua pars honorarii ſolvitur. Verum, ſi ab uno integrum exſolvendum ſit, juſti & æqui rationes poſtulare omnino videntur, ut, pro rata temporis, tantum fiat ſolutio, vel integri jam ſoluti repetitio obtineat, propterea, quod, ob honorarii, ab uno ſolvendi, magnitudinem, negotium præſens, ad locationem conductionem, paullo propius accedat, ubi quidem caſus illi nocet, cui obtingit, *l. 15. §. 6. l. 59. D. Locat. Conduct.* TITIVS *ad* LAVTERB. *Obſu. 604.*

§. XLVII. Integrum tamen honorarium ſolvi oportebit, ſi vel maxime ne una quidem vice ſtudioſus lectiones frequentaverit, modo ille nomen ſuum fidemque ſemel dede-

dederit, Docens vero ad id, quod partium est suarum, peragendum, promptus paratusque fuerit, neque per eum steterit, quo minus implementum justo fieret tempore, *arg. l. 38. D. Locati Conducti l. 19. §. 9. 10. Eod. l. 24. D. d. Condit. & Demonstr. l. 1. §. 13. d. extraord. cognit.* Ac tametsi hæ leges, de repetitione, tantum loqui videantur, tamen, ob rationis identitatem, de exactione, idem dicendum erit. Cujus rei præterea duplicem adducimus rationem, primo ut Doctores eo facilius liberalibus studiis & artibus alios instituere satagant, *l. 6. in fin. C. d. Prof. & Med.* deinde, ut ipsimet literarum cultores, solvendi necessitate, & quasi poena negligentiæ pecuniaria, ad diligentiam, eo magis incitentur.

§. XLVIII. De libris nunc, & ære alieno eorum caussa facto, ut agamus, instituti ratio postulat. Librorum encomiis copiose hic afferendis, commemorandisque, supersedemus, & B. L. ad REBUFF. *de privil. studios. priv. 45.* THOM. BARTHOLINUM, *de libris legendis, Dissert. 1. p. m. 5.* aliosque, ablegamus. Neque, probatione aliqua indigere, putamus, quod studiosus, si officii sui partes recte subire cupiat, librorum usu carere plane nequeat. Quod enim miles, sine armis, artifex, sine instrumentis, id studiosus, sine libris, esse videtur. Paucissimorum quidem librorum ope nonnulli, ad maximum eruditionis fastigium, pervenerunt, quemadmodum PHILIPPUM MELANCHTHONEM & RENATUM CARTESIUM in exemplum adducit MEUSCHENIUS, *in Præfat. ad* BARTHOLINUM, *d. l. §. 11.* Sed, studiosum literarumque alumnum, sine omni supellectile libraria, erudiri posse, impossibile est. Quare id quoque, omnium consensu, extra dubium positum erit, si, librorum causa, studiosus forte in æs alienum inciderit, solvi illud oportere, æque ac reliqua necessaria dubita. Modo studiosus, in comparandis libris, non excesserit modum, nec ab instituto aberraverit, neque ipse bibliopola, fidem studioso habens, in dolo quodam constitutus sit.

§. XLIX. Modum transgreditur studiosus, si plures sibi coëmat libros, quam & studii Academici ratio necessario efflagitat, & sine ære alieno facere potest. Quantus vero hic librorum numerus & apparatus studiorum necessitati sufficiat, nullibi quidem definitum est, pauciorum tamen, in primis selectiorum &, in quovis genere, optimorum diligens lectio studiosis commendatur. His instructus armis studiosus, levis armaturæ miles appellari haud meretur. Siquidem id observari dudum licuit, librorum turbam onerare magis discentem, quam eundem instruere, vid. BARTHOL. *l. c. differt. 6. p. m. 145.* JACOBI FOCANI *differt. de ratione studiorum, quæ, cum* HUGONIS GROTII, *aliorumque dissertationibus, de eodem argumento, Amstelod. 1645. in 12. conjunctim edita est, p. 205.* Addiscendæ enim sunt liberales artes in Academia, per compendia, adeoque dubium non est, quin prima illa doctrinarum elementa, e paucis libris, viva docentis voce, uberius explicatis, hauriri possint, ita, ut, præter disciplinarum fontes, eosque libros, qui, in prælectionibus, fundamenti loco, ponuntur, non, nisi paucissimos, efflagitare videatur necessitas. Hujus tamen necessitatis arctos limites, pro lubitu, licet transilire studioso, modo id, sine ære alieno, fiat. Quodsi enim studiosus aliquis tanta discendi cupidine flagret, ut non, nisi multorum variique generis librorum lectione satiari queat, potest ille bibliothecas vel publicas, vel privatas, adire, integrum vero illi haud est, pro lubitu, & sine patris consensu, contrahere debita. Consulte itaque agit bibliopola, si specialem patris consensum, a studioso doceri, postulet, ante, quam fidem habeat. Qua tamen opus non est cautione, si studiosus, aut sui juris, suæve tutelæ, sit, aut intra terminos, supra positos, sese contineat.

§. L. Deinde, si a scopo discedat studiosus, cupidus librorum emptor, & bibliopola in dolo sit, æs alienum, eam ob causam contractum, a patre, vel, qui ejus loco est, solvi haud oportere, diximus. Aberrare vero ab instituto intelli-

telligitur ſtudioſus, qui libros rariſſimos, non ſuæ artis & facultatis, eo emat conſilio, ut vel aliis iterum ſtatim vendat, vel pignora habeat idonea, quæ dare poſſit, ſi pecunia indigeat, item ſi eodem conſilio libros facultatis ſuæ u. gr. Corpus Juris; iteratis ſæpe vicibus, emere ſoleat. Idem dicendum, ſi ipſi libri, qui ſtudioſo creduntur, in commercio exiſtere non intelliguntur, quales ſunt libri reprobatæ lectionis, quo pertinent libri Magici *l. 4. §. 1. ff. Famil. hercisc.* Libri Atheiſtici & hæretici, *l. 6. §. 1. C. d. hær. & Manich. Novell. 42. c. 1. §. 2.* libri ſceleroſi, famoſi & maledici, vid. *ordin. Polit. de anno 1548. Tit. 34. §. 1. & 2. & de anno 1577. Tit. 35. §.* Wenn wir nun Libri obſcoeni & ſcurriles, AHASV. FRITSCH. *in Appendice ad* BESOLDI *theſaurum practicum, ſub voce,* verbothene Bücher. *add. Morhof. Polyhiſt. Lib. 1. cap. 8.* ADAMI RECHENBERGII *Diſp. de libris obſcoenis.* His caſibus æs alienum ſtudioſi legibus non poteſt non maximopere improbari, partim ob perverſum ſtudioſi inſtitutum, partim propter mercatoris librarii concurrentem ſcientiam & malam fidem.

§. LI. Sed quæritur hic de ligatura librorum, ſi forte bibliopegus, pro illa, ſolutionem nondum acceperit, an idem obtineat, quod antea monuimus. Ita quidem videtur, quoniam ligatura eſt acceſſorium, ad quod a principali argumentum alias ſumere licet. Interim tamen, multas ob cauſas, aliter hic interdum exiſtimandum eſt. Etenim non ſolum id pro bibliopego facit, quod ille non, niſi, libris jam compactis, comperit, an ſtudioſus ſolvere poſſit, ac velit. Ubi quidem, ſolutione non facta, jus retentionis exercere poſſet bibliopegus. Quodſi vero, in gratiam ſtudioſi, jure hoc non utitur, reliquo jure petendi debitum non cadat, cum per jus retentionis, plus damni in ſtudioſum redundaret, quam altero caſu. Verum etiam ultra crepidam bibliopegi eſt, ut, de qualitate interna, & neceſſitate librorum, quos compingit, judicium ferat. Quemadmodum vero hic exceptio aliqua admitti poteſt, ita ex adver-

so regulæ, supra generatim traditæ, standum omnino erit, quoties bibliopego aut culpa aut dolus obstet, addatur FRITSCHII *Disp. de Bibliopegis.* Deinde, id sæpe contingit, ut, cum bibliopego, qui librum compactum huc dum retinet, bibliopola, debiti causa, concurrat, quorum uterque, per ipsum librum solutionem suam obtinere cupit. Magistratus, a bibliopola imploratus, bibliopego, ne librum studioso reddat, præcipit. Studiosus, hunc, ad librum suum, moveri concursum, animadvertens, aut solvit, aut libro cedit. Hoc facto, bibliopola ligaturam solvere, & ipsum librum recipere potest, quia accessorium sequitur principale.

§. LII. De ipsius ligaturæ pretio, &, quantum, pro compingendis cujusvis ordinis libris, solvere debeat studiosus, paucis hic quoque dispicere attinet. Justo minus hodie solvi, pro ligaturis librorum, communis est bibliopegorum querela, his potissimum causis nixa, quod materiæ, die Zuthat, quibus, in libris compingendis, utuntur, hodie multo cariores sint, atque olim, ubi pretium illud constitutum fuit. Provocant illi ad ordinationem taxæ, de anno 1623. quæ in Corpore Juris Saxonici, *p. 642. seqq.* extat, ubi *p. 665. seqq.* late de hac re constitutum est, addita hac clausula, Würde aber der Einkauff von denen Materialien, so sie (die Buchbinder) in ihrem Handwercke bedürffen, fallen, soll diesfalls jederzeit Moderation getroffen werden. Inde bibliopegi Hujus Civitatis, anno 1696. illud sibi privata autoritate sumpserunt, ut, communi Collegiatorum consensu, aliud, idque veteri majus ligaturæ pretium constituerent. Quod statutum, nec Principis, nec Magistatus, confirmatione munitum, die 1. Novemb. d. a. hic publici juris fecerunt. Sed sine dubio rem aliquam frustraneam & nullius momenti susceperunt, siquidem collegiis opificum nefas est, contra jus provinciale, & simul in præjudicium tertii, sine Principis speciali consensu, aliquid statuere. Quanquam, ob mutatum rerum ac mercium pretium, ejusmodi

Prin-

Principis confirmationem, obtentu haud difficilem esse futuram, omnino credimus, si legitimo illa petatur modo. Quamdiu vero hoc factum & impetratum non est, tamdiu studiosus non, nisi, juxta veterem æstimationem, solvere debebit, pro ligatura librorum suorum.

§. LIII. Opportuno hic loco quæritur, an studiosus, in Academias migrans, aut inde remigrans, pro libris vectigal solvere teneatur, hujusque causa debitor evadat. Quod, *arg. l. 5. C. de Vectigal. & Auth. Habita C. Ne filius pro patre.* communiter negant. Hinc studiosis autores sunt, ut cistis suis hæc inscribant verba, *Studenten*-Guth, quo publicanis, de rerum qualitate & immunitate, illico constare possit, confer. BECHMANNUS, *de privil. Studiosorum c. 7. n. 3.* SPECKHAN. *Cent. 2. Class. 1. qu. 11. n. 21.* ZIEGL. *de Jur. Maj. Lib. 2. c. 8. §. 8. & c. 9. §. 3.* Sed plurimum dubii ac difficultatis quæstio habere videtur, si, de ejusmodi vectigalium genere, sermo sit, quod alias, pro viarum ac pontium refectione, exigi solet. Ab hoc ne quidem ecclesias, nec ipsorum Imperatorum ædes immunes esse, *l. 7. C. de SStis Eccles. & l. 4. C. d. privileg. dom. Aug.* evincitur. Quare, nec studiosorum libros ab illo vectigali exemptos esse, argumentantur, ENGELBRECHT. *ad π. Tit. de publicanis & vectigal. th. 22. sub fin.* BECHMANN. *d. l. n. 6.* LIMNAEUS, *de jure publico, Libr. 8. c. 9. n. 18.* Sed, distinguendum hic, censet STRYKIUS, *disp. de jure pontium, c. 4. n. 70. sqq.* inter vectigal, quod pontium ac viarum refectioni impenditur, &, quo Fiscus locupletatur. Ab hoc, non vero ab illo, absolvit studiosum, cum suppellectile sua libraria. Huic sententiæ, nisi consvetudo atque usus aliud ferat, subscribendum hic esse, arbitramur.

§. LIV. Hæc, pro instituti ratione, de ære alieno studiosorum necessario, cum generatim, tum speciatim dixisse sufficiant, sequitur nunc, ut, de reliquis æris alieni speciebus, quoque agamus. Omnia vero, quæ hic dicenda restant, ad tria potissimum capita referemus, dum omne reliquum æs alienum Academicum, vel ad utilitatis, vel honestatis,

vel

vel voluntatis, causas, revocatum, breviter examinabimus. Utilitatis causam hic appellamus, quæ quidem cum vitæ aut studiorum necessaria ratione haud conjuncta est, ipsum tamen studiosum maxime ornat, spemque futuræ felicitatis illi confirmat, atque ipsi literis maximum sæpe pondus addit. Quo loco omnia honesta exercitia, linguas exoticas, peregrinationes utiles, & similia habemus, atque huc referimus das Fechten, Reiten, Tantzen, Music, Trenchiren, Drechseln, Lackiren, Spielen ꝛc. Legatur Johann Hermann Robert von Kallenberg, vernünfftig und erfahrner Academischer Wegweiser, qui liber ipso hoc anno prodiit, & omnino cujus dam pretii. est. Add. Lyncker. *Respons. 61. n.' 25. p. m. 436.* Cujus verba hic apponere libet. Alldieweil aber (inquit ille) dasjenige, was ein Sohn auf löbl. Exercitia, auf fremde Sprachen und nützliche Reisen anlegt, vor keine impensas voluptuarias zu achten. Bevorab heut zu Tage dergleichen Geschicklig keiten manchen herfür ziehen, und zum wenigsten die studia literaria angenehmer machen, auch denenselben offt das Gewichte, und vor andern denenjenigen, welche damit qualificiret seynd, den Vorzug geben, *conf.* Gottfried Tauberts rechtschaffener Tantz-Meister, *Lib. 1. c. 25. p. 206. c. 27. p. 225. sqq.*

§. LV. Cujus quidem rei veritas tam evidens est, ut, illam a nemine in dubium vocatum iri, arbitremur. Sive enim studiosus equestris, sive civici sit ordinis, ejusmodi ornamentis carere plane non potest. Illum, sive aulica, sive militaria aliquando ambiat munera, in complurimis ejusdem generis exercitiis haud leviter versatum esse oportet conf. *Ordinat. Acad. equestr. Guelpherbitanæ, c. 4. §. 1.* WAGENSEIL von Erziehung eines jungen Printzen, *p. 73. seqq.* Imo, si dicendum, quod res est, ne in otio quidem, nobili cuidam, harum rerum rudi, sine dedecore, vivere licet. Reliqui vero studiosi, ejusmodi rebus, nisi perpoliti sint, nec seculo comprobantur, neque tantam apud alios habent commendationem, quantam sæpe meretur eorum eruditio. Alii e contrario, etiam semi eruditi, qui tamen plus

plus illis profecerunt in moribus, ad decorum seculi omnino pertinentibus, haud raro maximum fortunæ suæ adjumentum in illis rebus reperierunt. Atque id in primis studiosi pauperes quotidie experiuntur, qui, confecto Academicæ diligentiæ curriculo, donec officii nanciscendi detur occasio, alios interdum literis & moribus erudiunt. Ecquis tandem quoque ignorat, talia corporis exercitia, cum animi quadam delectatione conjuncta, instar medicinæ corporis, esse studiosis, conf. TAVBERT. *d. l. c. 28.* ADOLPHI *disp. de equitationis eximio usu medico*, *§. 17. & passim.* Deinde vel hoc saltem nomine commendanda illa esse videntur studiosis, quod, qui, præter literas, illis quoque vacant, otio nec abundent, neque facile abuti queant, add. GVMPELSHEIMERVS, *de Exercitiis Academicis.*

§. LVI. His, de utilitate exercitiorum, quibus studiosi, præter literas, incumbant, breviter monitis, ad æs alienum, quod hac de causa a studioso aliquando contrahitur, examinandum, nos conferimus. Vbi quidem, ante omnia, dubio carere, putamus, quod studiosus ejusmodi exercitiorum magistris debet, ad illud perfecto eum teneri jure, valideque conveniri posse, æque, ac, pro collegiis, idque ob eandem juris rationem, de qua supra expositum est. Honorarium, quod, pro ejusmodi informatione, datur, vel exigitur, nonnunquam Legibus Academicis determinatur, ut in *Stat. Acad. equestr. Guelpherb. c. 8. §. 8.* factum est, sæpius vero, imo plerumque, vel consvetudine, vel speciali conventione, definitur, conf. TAVBERT. *l. c. Lib. 3. cap. 9.* ac, pro singulis mensibus, computari solet, ita tamen, ut una, vel altera cujusvis septimanæ hora, neglecta, non attendatur, nec interest, cujus hoc contigerit culpa. Studiosus enim sibimetipsi suam negligentiam imputare debet. Magister vero, si, quod sui erat officii, uno vel altero die reliquum fecerit, alias majori diligentia atque opera illud compensare solet. Deinde probe hic notandum est, mensem non triginta, ut in dubio intelligi oportet, quoties mensis fit men-

tio, in jure noſtro, Barthol. Socin. *in fallent. Juris Reg. 318. p. m. 466.* Stryk. *de diverſ. temp. præſcript. membr. 4. p. 347.* ſed aut XVI. aut XX. dies continere, neque ſingulæ horæ, ſecundum minutias ſuas, exiguntur. Id quod non alia nititur ratione, quam, quod uſu ita introductum ſit. Integrum vero illud tempus, pro quo ſolvitur honorarium, aut ſecundum hebdomades, aut juxta horas, computatur, ſi illud, etiam una, vel duæ horæ, hebdomadem integram, ex uſu recepto, conficiunt, ſi hoc, tot horæ, quod menſem hic conſtituunt, requiruntur, &, ut eo certius, de illarum numero, conſtare queat, ſingulæ, vel per teſſeras datas, vulgo *Marquen*, vel alio modo, annotari ac numerari ſolent.

§. LVII. Hæc ac Magiſtro in propoliendum ſtudioſum impenſa opera niſi juſto penſetur honorario, æs alienum Academicum contrahi cenſetur. Quod, ob cauſam ſuam, utile ſupra vocavimus. Sed idem, ſi ſolutionem ejus, quæ neceſſario omnino fieri debet, ſpectes, haud incommode neceſſarium quoque appellaveris. De utilitate, paullo antea ſatis nos perſuaſiſſe, confidimus. De ſolvendi neceſſitate nunc, ex inſtituto agemus. Ipſe ſtudioſus, in quem omnis hic redundat utilitas, ſolvendi neceſſitati, promiſſione & ſumma æquitate, devincitur. Neque, ſi exiſtimationis ſuæ forte negligens ille ſit, contra magiſtrum, vel deſidiam ſuam, vel, quod natura minus aptus atque idoneus, ad exercitia illa diſcenda, fuerit, urgere poteſt. Interim tamen, ſi ipſe magiſter, ſine culpa ſtudioſi, officio ſuo nimis defuerit, dubium non eſt, quin exceptio non adimpleti contractus illi opponi queat. Quodſi vero ſtudioſus illi opprobret, ſe talem in arte ſua, non inveniſſe, qualem eum futurum eſſe, crediderit. Hanc exceptionem ſtudioſum nihil juvare exiſtimamus, nam ſua falſus eſt opinione. Modo illa præconcepta opinio non fuerit communis, quæ officii partes Magiſtri, communi hominum conſenſu, demonſtret, hanc enim fallere magiſtro, qui artem profitetur, nefas eſt. De qua re ſæpius lis cooriri poteſt, ſi, in Academiis

miis, magistri exercitiorum, qui artem suam publice profiteantur, publica autoritate constituti sint nulli, sed aliqui Pseudo-Magistri artes, præter meritum, profiteantur, ac studiosos, qui quidem illius, quod *Prov. XXVI, 10.* dictum, bene memores sunt, de re tamen ipsa plenius judicare nondum possunt, pecunia emungunt. His Pseudo-Magistris, si rem, ex bono & æquo, æstimemus, non, nisi pauca debent studiosi, quippe qui & tempus, maximo suo damno, perdiderunt, & falsi cujusdam exercitii principiis assuefacti sunt.

§. LVIII. Quemadmodum vero, quæ hic, de ipso studioso obligatio, vel minus tali, diximus, omni æquitati consentanea sunt, atque tum in primis usum habent, si studiosus vel sui juris sit, vel quidem filiusfamilias, sed tamen simul habens peculium, unde ipsemet solvere possit. Ita ex adverso, de patre nunc, non sine causa, quæritur, an ille, quod filius, studiosus, pro exercitiis, quæ didicit, debet, solvere teneatur. Quæ quidem quæstio eo crebrius incidere solet, quo rarius, sine patre, solvendo est filius. Præsentire hic facile licet, patrem, qui solvere pro filio abnuit, illis potissimum usurum esse exceptionibus, quod nunquam consenserit, quod filius ejusmodi artibus & exercitiis carere potuerit, quod ultra vires patrimonii sui, & in præjudicium reliquorum librorum suorum, solvere nequeat. Verum, frustra hic a patre monetur, consensum specialem desiderari, si generalis jam adsit, quippe qui eo ipso satis sufficienterque declaratus esse censetur, cum pater filium in Academiam eo mittat consilio, ut ibi, in literarum pariter, atque decori studio, quo sane spes fortunæ, olim obtinendæ, maxime continetur, profectus faciat quam maximos. Hic consensus generalis postea, patris subsecuto silentio, magis magisque confirmatur, siquidem ille, quid rerum gerat filius, in Academia, sine culpa sua ignorare nequit, adeoque ante, quam æs alienum contraheretur, tempestive contradicere potuisset, suumque dissensum illis, quorum interest, aperire. Nec deinde au-

diendus est pater, qui, contra communem opinionem & rei veritatem, de exercitiorum Academicorum utilitate, minus recte judicans, filium rudem, ligneum & ab omni corporis cultu alienum, illepidisque moribus suis relictum, sibi comprobari contendit.

§. LIX. Etsi vel maxime illi, ita, cum dedecore, existimare, integrum sit, tamen nihil præsidii inde habebit solutionis, subterfugiendæ, quoniam, contra illum, militat communis opinio. Hanc si justo tempore, ubi res hucdum fuit integra, contradicendo & prohibendo, a se non declinaverit, ejusmodi mentis suæ declaratio, quæ demum æs alienum, jam contractum, consequitur, contra tertium nihil operatur, neque patrem a solvendi necessitate liberat, in primis, si exercitia, unde æs alienum proficiscatur, locum & genus, quo natus est studiosus, maxime deceant, parentumque honori ac patrimonio omnino congruant, nec ipsemet studiosus modum, in illis rebus addiscendis, excesserit. Quodsi vero res aliter se habeat, studiosique conditio & paupertas in aprico sit, nec quicquam simuletur, tum quidem nihilominus, contra studiosum, agendi jus magistro salvum est atque manet, exactio licet differenda sit, usque dum studiosus ad meliorem aliquando perveniat fortunam. Patrem tamen, ut pro filio solvat, conveniri posse, æquitati vix consentaneum est. Pro illo enim loquuntur difficultates domesticæ, & res similes, quæ patris consensum generalem ac specialem perpetuo excludunt, & quasi protestationis alicujus vice funguntur. Contra ea Magister sibi tribuat, quod studiosi conditionem atque fortunam diligentius curiosiusque non exploraverit. Debuisset enim ille ita curiosus hic esse, quæ curiositas legalis & proficua vocatur a Dn. Coccejo, *disp. de hoc argumento.*

§. LX. Ad æs alienum Academicum, de quo in præsenti agimus, præter illud, quod magistris, vel honorarii, vel mercedis, loco, solvi, fas est, omnia quoque illa referri debent, quibus studiosus, veluti instrumentis & similibus rebus, in addiscen-

scendo quodam exercitio, carere nequit. Nisi aliud, per usum aut legem, dispositum esse, doceatur, de qua re, in *Leg. Acad. Guelpherb.* supra adductis, *c. 8. §. 3.* hæc constituta leguntur, In specie soll vor die Bügel, Spitz Ruthen, Ringe und Ringrennen auff der Reit-Schule absonderlich nichts bezahlet werden; die Lantzen und Köpffe aber, wie auch Fecht-Degens, Dantz-und Fecht-Schu muß ein jeder ihm selbst schaffen 2c. Aliud vero dicendum est, minus necessariis expensis, quæ, occasione exercitiorum, sæpius fieri solent. Hæ enim aut legibus ipsis prohibitæ jam sunt, ut factum, in *d. Leg. Acad. Guelpherb. d.l.* verb. Wie denn auch von niemanden Neu-Jahrs-Geschencke und dergleichen extraordinair-Depensen zu fodern oder zu geben, 2c. Aut studiosi ad prodigalitatem prolabuntur, u. gr. si studiosus, qui, quemadmodum cibi recte retique dissecentur, didicit, pro exercitio hujus artis, convivium apparari amplissimum, ibique, omnis generis cibos apponi, curaret. Quodsi, ob hanc & similem causam, ære alieno implicetur studiosus, ejusmodi debitum nulla utilitatis ratione sustineri poterit, adeoque a patre solvi non oportebit. An vero a filio. Respondetur, si ille homo sui juris suæque administrationis sit, neque leges Academicæ obstent creditoribus, hic pœnam stultitiæ suæ luat, solvatque creditoribus, nullius doli reis, & damni declinandi cupidis. Si vero adhuc studiosus minorennis sit, curatorem, cum patre, cujus vices hic gerit, solvendi vinculo ac necessitate liberum habemus.

§. LXI. Ad illud æris alieni genus, in quo exponendo hic versamur, jure meritoque referri oportet, quod studiosus, specimen quoddam eruditionis suæ edens, hujus rei occasione, uni alterique debet. Etenim ad ejusmodi debita optime accommodari potest definito nostra, quam supra tradidimus, æris alieni, utilitatis causa facti. Imo in Saxonia nostra sigillatim jurisprudentiæ cultores, sine publica in Academiis habita exercitatione, ad examina non admittuntur, per *mand. Reg. Elect. de Advocatis. anno 1723. die 12.*

April. §. 2. *ibi:* hierüber auch einmahl publice disputiret, und dabey seine Geschicklichkeit genugsam erwiesen, zum Examine zu lassen ꝛc. Circa hanc rem, duo inprimis occurrunt momenta, probe expendenda. Primo quæritur, an pater hic, sine speciali suo consensu, solvere teneatur, deinde quisnam modus expensarum servandus sit. Primum quidem non negatur, consilii tamen est, ut creditores patris consensum expressum requirant, aut de illo quavis ratione certiores fiant, in primis, si, multas ob causas, de consensu patris subditare liceat. Res, quæ æri alieno contrahendo ansam præbent, vel ad honorarium, Præsidi, pro elaboratione & præsidio, debitum, vel ad impressionem disputationis ejusque solennem actum, vel denique ad bellaria & convivium, illis, qui dissentientium munere functi sunt, pro opera ac labore, recepto more Academico, apparandum, pertinent. Primum, si certum non sit promissum, aut consvetudine Academiæ & facultatis, aut ex bono & æque defeniri solet. In dubio vero, præsidium gratis concessum, esse haud conjicitur. Alterum e communi plerumque usu, certitudinem suam habet, nec adeo hic metuendus est aliquis studiosi excessus, in contrahendis debitis, in primis, quia pleraque hic fiunt non sine Præsidis consilio. De ultimo hic aliquid dicere non attinet, propterea, quod illud ad debita, honoris causa contracta, merito referendum est. De his vero paullo post agendi singularis dabitur locus.

§. LXII. Sed pluribus rebus, sigillatim huc spectantibus, curatiusque considerandis, immorari, hic nobis non licet. Potius ad reliquas æris alieni Academici duas species properare nunc debemus. Alterum honestatis ergo, alterum voluptatis causa, contrahitur. Illud fit, si studioso, honoris sui tuendi gratia, modicum aliquid expendendi, datur occasio, qua, sine ære alieno, defungi ille non potuit. Quæ hic summatim a nobis & in compendio dicta sunt, uberiori nunc indigent explanatione. Hæc æris alieni Acade-

Academici causa nulla quidem legis nititur necessitate, decoro tamen, quod legis æmulum est, comprobatur, conf. SCHELGVIGII *Disp. de eo, quod contra prudentiam est & decorum, in congressubus hominum*, §. 6. A quo etiam jus ipsum naturæ penitus non abhorret, quippe quod, honorem potius & existimationem, quæ, cum vita, pari loco solet haberi, quoties illa in periculum adducitur, honeste ac studiose defendere jubet. Quare in studiosorum honorificam conditionem injuriosus foret, qui, ab illis honoris tuendi studium alienum esse, cuperet. Atque tum in primis studiosi existimatio & fama periculo cuidam exponi videtur, quando ille, cum aliquando, pecuniæ parcendum, putet, eam ob causam in dedecus, aliorumque offensionem atque contemptum, incurrit. Is enim, qui ita se gerit, aut, suo pertinaciter stare ingenio, aut, avaritiæ deditum esse, aut res dilapidavisse suas, suspicionem prodit.

§. LXIII. Sunt vero multæ ac prope innumeræ pecuniam, honoris causa elargiendi occasiones, e quibus tamen non, nisi illæ admittendæ sunt, ubi studiosus ab aliis, ad erogandum aliquid, honesto modo provocatus, honori suo hic necessario consulere debuit. Huc ergo referri debet, si studioso, cum commilitonibus, aut aliis honoratioribus utriusque sexus personis, consvetudo & conversatio aliqua interdum intercedat, ubi vel cibi potusque apponi, vel aliquid expendi, sæpe moris est. Eodem quoque pertinent dona nuptialia & largitiones, quas studiosi, ad nuptias invitati, aliis faciunt. Præteriri hic non debet, quod Divus Elector AVGVSTVS, in Verordnung beyder Academien, Tit. von der Disciplin und Zucht, sub fin. *p. 428. edit. veter.* circa hanc rem constituit, quando ibi dicitur, Weil auch die studiosi von ihren studiis nicht wenig durch die Hochzeit und Tantzen abgehalten werden, so soll der Rath bey seinen Bürgern, und die Universität bey ihren Verwandten ernstliche Vorsehung thun, daß keiner einigen Studiosum, der nicht beweibet ist zur Hochzeit lade, der nicht naher Freundschafft halben dazu gehören, oder sein

Tisch-

Tisch-Hauß-oder Habitations-Genosse seyn wird. Quis vero arbitrabitur, hæc omnia hodie observari, cum studiosi, etjam non invitati, ad nuptiales solennitates, concelebrandas, accedere soleant. Porro huc spectant dona baptismalia, quæ studiosus, ad suscipiendum susceptoris officium, requisitus, largitur, & similes occasiones, ubi aliquid pecuniæ erogare, salvo atque illibato honore, supersedere non potest studiosus.

§. LXIV. Procul vero hic abest, qui honoris, non tam tuendi, quam consequendi, cupidus, ipsemet causam, profundendi pecuniam, diligenter eo quærit consilio, ut, apud alios, vel vanam liberalitatis, vel divitiarum, opinionem, gloriolam ac laudem, obtineat. Idem dicendum, si opportuno quidem tempore, per largitiones, se suamque existimationem, ab omni dedecore ac sorditie, vindicat studiosus, sed simul omnem excedat modum. Qua de re tum haud difficulter constat, si quantitas, quam, occurrentibus supra dictis occasionibus, erogare liceat studioso, lege publica definita forsitan sit. Cujusmodi legem in Academiis nostris Saxonicis, deesse, non creditur. Quod enim, *in Ord. Polit. de anno 1661. Tit. 17. §. 15.* de pecunia lustrica, constitutum est, ad studiosos sat commode trahi potest, siquidem distinctio personarum, quæ ibi habetur, ad liberos & filios, studiosos, bene accommodari potest. Deinde generale quoddam argumentum desumere hic non dubitamus, ex *Tit. 16. §. 8. ejusd. Ord. Pol.* indeque concludimus, patrem non teneri, si filius, ultra modum, aliquid pecuniæ, honoris causa, erogaverit, eamque ob causam, debitum aliquod contraxerit. Id quod verba, Ohne ihrer Eltern Schaden thun können ꝛc. satis evincunt, atque hoc præterea quoque innuunt, si studiosus necessariis & utilibus expensis detrahat, quod reliquum est, pro lubitu, illum posse in honoris causas dispensare.

§. LXV. Hæ honoris causæ, ob quas studioso æs licet conflare alienum, eo quoque extenduntur, ut eisdem contineri, id etiam videatur, si ideo æri alieno obnoxium

xium ſe reddat ſtudioſus, ne, quod indigne perpetravit, in alirorum veniat notitiam, u. c. ſi puellam aliquam impraegnaverit, illique, ne pater nominetur infantis, clam aliquid dederit, &, eam ob cauſam, vel apud alios mutuum ſumpſerint, vel, chirographo, ipſius puellare patri, aut amicis, dato, mutuum aliquod ſimulaverit. Tum ſane honoris & ſtudioſi & parentum maximopere intereſt, ut fiat ſolutio, atque res, quae exiſtimationem familiae laedit, non patefiat, neque prudenter hic agere putamus advocatum, ſi, dum creditoribus ſtudioſi reſpondet, in cauſam debendi nimis curioſe inquirat, eamque exacte probari, deſideret.

§. LXVI. His breviter dictis, confectum eſſe probatumque, nunc credimus, honoris atque exiſtimationis defenſionem, quam a ſtudioſo interdum ſuſcipi, pecuniaque impenſa, obtineri, oportet, legitimam eſſe aeris alieni contrahendi cauſam, quae & ſtudioſo & ejus patri, aut aliis, qui ſtudiorum ſuppeditant ſumptus, ſolvendi neceſſitatem imponat. De ipſo ſtudioſo, qui juris ſui ſuaeque tutelae eſt, dubitari vix poterit. Huic enim nihil patrocinatur dolus ſuus, ſi forte cauſas; ob quas honorem negligere nefas eſt, mentitus ſit, u. gr. ſi, de celebritate familiae ſuae, ſi, de parentum dignitate atque divitiarum & opum vi, majori quidem, atque verum eſt, ſeſe jactaverit. Neque dubii aliquid ac difficultatis res habere videtur, ſi, de patre, vel aliis, ſtudiorum ſumptus ſubminiſtrantibus, ſermo ſit. Ad patrem, quod attinet, nolumus quidem argumentum hic ſumere, ex *l. 1. §. 3. & 5. l. 17. §. 10. l. 26. l. 41. D. de injuriis. l. 2. C. eod. §. 2. Inſt. d. injuriis.* Ex quibus legibus conſtat, injuriam, filiofamilias factam, ad patrem quoque pertinere, ab eoque vindicari poſſe. Quoniam illae juris diſpoſitiones patri non, niſi facultatem aliquam moralem, injurias vindicandi, tribuunt, ex jure vero permiſſivo, contra eundem, jus aliquod praeceptivum, ſua natura, nunquam fluit, ita, ut argumentum hoc non valeat, pater injurias, filio illatas, tanquam ſuas, vindicare poteſt, ergo aes alienum, quod

filius, studiosus, ob honorem tuendum, contraxit, solvere debet. Lubricum enim foret conclusionis fundamentum & ipsa consecutio inconcinna. Potest enim pater injurias vindicare, si scilicet velit, ergo etiam debitum solvere, si velit. Sed hic, de jure, non de voluntate, quærimus.

§. LXVII. Breviter hic aperiemus, quid res sit. Et quidem, jus, vindicandi injurias filii, patri competens, pariter, atque obligatio, quæ patri incumbit, solvendi æs alienum, honoris causa contractum, ex communi quodam dimanare fonte, arbitramur. Nimirum ex patria potestate utrumque, tanquam ex causa sua, fluit, ita quidem, ut primum ad commoda, alterum vero ad incommoda, patriæ potestatis referendum esse videatur. Injuriarum vindicationi commodi aliquid inesse, ideo creditur, quod illa, veluti jus quoddam singulare, constituta sit, & vindictam contineat atque persequatur, qua hominibus nihil carius esse solet. Atque hoc idem in causa est, cur injuriarum actioni, minus, quam aliis, faveatur, in jure nostro, *l. 34. D. d. Obligat.* indeque est, quod actio injuriarum annalis sit, nec detur, contra heredes, sed silentio & dissimulatione extinguatur, *l. 13. §. 1. l. 15. §. 14. l. 28. D. d. injuriis*, *§. ult. Inst. eod. add.* MARCILIUS, *ad Instit. Tit. d. injuriis, pr.* Alterum vero, ob solvendi onus, incommodum omnino appellari meretur. Hæc solvendi necessitas, patri incumbens, sine dubio e patria profluit potestate, quippe quæ non solum unitatis vinculum inducit, quo parentum gloria liberis communicatur, verum onus quoque alendi libros, non pro simplici necessitate, sed secundum facultates, & dignitatem parentum, continet, *l. 5. §. 7. D. d. agnoscend. & alend. liber. l. 4. C. eod. l. 1. §. 19. D. d. ventre in possess. mitt. l. 12. §. 3. d. administr. tutelæ.* Quæ causa est, cur liberi, pro patris dignitate, educari & ejusmodi vitæ generi consecrari, debeant, quod parentum conditione haud indignum est.

§. LXVIII. Ex his & similibus colligere omnino licet, parentes, quoties opus est, liberorum existimationem & ho-

& honorem, quem hi ab illis habent, vel ſuis jam virtutibus obtinuerunt, tueri oportere. In primis vero hoc juris vinculum arctiſſimum eſt, quando liberi, parentum conſenſu, honoratius quoddam vitæ, genus, quale ſtudiorum cauſa eſt, ſectantur, ubi homines, in media dignitatum via, conſtituti, omni liberalitatis exercitio, ſine dedecore, ſuperſedere interdum nequeunt. Putarem itaque, parentes, ſi tam ferrei ſint, ut filium, ſtudioſum, honoris cauſa, obæratum, deſerere velint, judicis arbitrio, ad ſolvendum, & officii rationes, compelli poſſe. Falluntur vero hæc omnia, ſi non pater, ſed alius, quiſpiam, ſtudiorum ſumptus largiatur, utpote qui, ſi fidem ſuam jam liberaverit, &, quod promiſit, dederit, ad ſolvenda debita ulterius non tenetur, niſi hic in genere ſtudiorum ſumptus liberaliſſime pollicitatus ſit, ſtudioſus vero non habeat, unde ſumere poſſit, quod interdum, honoris cauſa, erogari oporteat, Tum enim nihil impedimento eſſe videtur, quo minus ejusmodi liberales pollicitationes, de modica quadam pecunia, pro honore alumni ſolvenda, interpretari queamus. An vero tum etiam aliqua exceptio vel a regula, hic tradita, vel in univerſum, obtineat, ſi filius, invito & reluctante patre, ſtudiorum caſtra ſequatur. Hanc quæſtionem ex inſtituto movet Rebuff. *priv. 53.* ubi negativam amplectitur ſententiam, ſed, cum aliis, ajentem tuetur Lauterb. *in Colleg. Theor. Pract. tit. d. SCto Maced. §. 25.* qui tamen arbitrio judicis plurimum relinquit, & de ejusmodi tantum loquitur creditoribus, qui ſcienter refractario filio pecuniam ſubminiſtrant. Qua quidem in re illi facile aſſentiri poſſumus. Interim hic ſine dubio, contra patrem, indicari oportebit, quod ad alimenta & ſimiles res attinet, pro ea videlicet parte, quam pater ipſe domi expenſurus erat, *l. 3. §. proinde D. de in rem verſo, l. 12. D. de Leg. 3.* niſi ultra patris conſvetam quantitatem creditum ſit, aut debitum vires patrimonii patris excedat. Deinde, ſi res ad judicis arbitrium ſpectet, illum probe conſiderare debere,

 volunt,

volunt, dotes animi, quibus ſtudioſus, filiusfamilias, prædi-
tus ſit, &, an ſpes adſit, eum monſtrum eruditionis certe evaſurum eſſe. His breviter monitis, D. LVDOVICI opinioni ſubſcribere vix poſſumus, quando ille, ad REBVFF. *l. c. in f. p. 76.* ſimpliciter negat, patrem obligari, ſi, invito illo, filius ſtudiis operam navet, adjecta illa ratione, quod Reipublicæ nihil decedat, nec metuendus ſit defectus eruditorum, licet hic, vel ille, ſtudia non ſequatur.

§ LXIX. Sed, quod tandem reliquum eſt, ad æris alieni, quod ſupra voluptuarium diximus, conſiderationem nunc quoque convertimur. Quo nomine omne illud æs alienum innuere hic volumus, quod, vel ſine neceſſitatis, utilitatis ac honoris, ratione, vel contra eandem, ſub ſpe boni cujusdam obtinendi, in voluptate potiſſimum poſiti, contrahitur. Primum aut neceſſitatis, utilitatis, vel neceſſariæ exiſtimationis præ ſe fert ſpeciem, aut ſine illa eſt, & in meram abit voluptatem. Ad illud pertinet, ſi in tribus, antea commemoratis cauſis, modum legitimum, quem ſupra demonſtravimus, excedat ſtudioſus. Ob defectum enim, nullum æs alienum metuendum eſt. Cum vero, de hac re, jam antea copioſe expoſitum ſit, rem, actam, hic agere nolumus. Sine neceſſitatis, utilitatis & honoris tuendi ſpecie, æs alienum fieri cenſetur, ſi, remotis his cauſis, ſola voluptas in conſilii rationem, ſine dedecore tamen ac literarum damno, veniat. Quo referimus omnes honeſtas oblectationes, quas ſtudioſis, intenſiori defatigatis diligentia, animi recreandi cauſa, ſumere interdum licet, ſigillatim vero huc pertinent pocula hilaritatis & modica convivia, ſine luxu, apparata, excurſiones in loca amoeniora, opportuno tempore factæ, ludorum nonnulla genera, quibus animi pariter & corporis vires redintegrari poſſunt, item ſi Muſicam ob eandem cauſam diſcat, & quæ ſimili in genere hic eſſe intelliguntur. Hæc omnia in ſtudioſo, officii ſui bene memori, eo minus vituperii habent, quo majus damnum illis, ab immodica quadam diligentia

& li-

& librorum diurna atque nocturna incubatione, metuendum est, conf. Weideli, *Medici Jenensis, Orat. de hoc argumento.* Imo, autochiriam subtilem hic vitandam esse, admonent, conf. Roehrensei *disp. de autochiria subtili.* Quis ergo tam inimicus in diligentes foret studiosus, ut pusillum laxamenti eis invideret, atque, hanc æris alieni contrahendi causam non admittendam, censeret.

§. LXX. Sed paullo aliter existimandum est, de illis, qui, nulla habita officii ac decori ratione, languori ac desidiæ dediti, luxuria & otio diffluunt, Bacho, Cereri ac Veneri se suumque patrimonium devovent, omnique, æris alieni, cum dedecore, contrahendi, occasioni vacant. Quoties hi a via aberrare soleant, dolere magis, quam enarrare hic placet. De ære tamen alieno, quo ejusmodi homines, cum vitiis suis, sæpenumero irretitos vides, ex instituto nunc paucis agendum erit. Hoc, pro illecebrarum multitudine, latissime patet. Damnum, alteri dolo aut petulantia datum, integrumque delictorum ac vitiorum campum huc quoque trahimus. Illi vero, qui ab his corruptelis sibi ac suo patrimonio metuunt, deque damno, vel jam illato, vel imminente, queruntur, duplicis esse generis cernuntur. Vel enim instrumenta luxus atque malitiæ sunt, vel minus. Illi, sive rem, sive pecuniam, in luxuriæ exercitium, crediderint, repetitione illius jure meritoque cadunt, quemadmodum, hoc summæ æquitati consentaneum esse, jam supra, §.21. commonstravimus. Sed, ut instituto fiat satis, exempla nunc, ubi vel res dubia sit, adeoque expedienda, vel exceptio a regula admitti debeat, conquiremus. Quo juris remedio utendum sit patri aut filio, studioso, contra creditores, luxuriæ administros, hic in primis disquiri meretur. Primum, quod hic occurrit, Senatus est Consultum Macedonianum, percelebre illud, in filiorum familias causis, juris beneficium. Hoc vero in studiosorum causis, apud Romanos, exulasse, ob *leg. 7. §. 13. D. ad SCtum Maced. l. 5. 6. eod.* contendit D. a Ludewig, *in disp. de differentiis Jur. Rom. & Germ.*

in mutuo different. 8. Deinde, hoc SCtum ad merces & res venales non pertinuisse, admonet idem, atque, collatis, cum hoc jure, institutis domesticis, maximam utriusque juris differentiam probare annititur, cum, per statuta Academiarum nostrarum, studiosi, etiam sui juris, emancipati, ac majorennes, nec mutuo obligentur, neque ob debita, ex rebus, quæ voluptatum illecebris inserviant, oriunda, teneantur.

§. LXXI. Nos equidem hic largimur, Senatus-Consulta Academica nostra, Macedoniano illo, latius patere, ita, ut merito ab hujus appellatione abstinendum hodie sit, attamen, *arg. §. 7. in fin. Instit. quod cum eo, qui &c.* ob SCtum Macedonianum, fidem, de pretio, haberi, si luxuriosæ res venditæ sint, filiosfamilias, prohibitum omnino est. Deinde, invito jure Romano, in Germania, hæc omnia ita constituta esse, vix verosimile esse videtur. Neque sustineri poterit, SCtum Macedonianum, apud Romanos, in ære alieno Academico penitus exulasse, siquidem adductæ leges tantum de necessariis studiorum sumptibus, ubi probabilis modus non excedatur, & quos patris pietas haud recusatura esse censeatur, loquuntur, LAVTERB. *Colleg. Theor. Pract. π. Tit. de SCto Macedoniano §. 24.* Adeoque regulam, in causis reliquis ac dissimilibus, non turbant, sed potius confirmant. Deinde opus non fuit, ut exceptio ejusdem SCti ad res, quæ mores filiorumfamil. corrumpant, produceretur, quia, per actionem, de servo corrupto utilem, abunde jam patri ac filio consultum erat, *l. 2. & 14. §. 1. D. d. Serv. corrupt.* Cum vero in ejusmodi judicio utili, verba in factum ita temperari non possent, ut, allegata filii corruptione, splendori familiæ satis parceretur, CUJAC. *lib. 17. Obs. 11.* Quare hoc literarum dignitati in Germania dandum fuit, ut studiosi SCto Academico juvarentur, contra creditores, neve eorum parentes confugere deberent ad actionem, de servo corrupto, utilem, ubi existimatio familiæ nonnulli periculo exponebatur. Quod vero SCta Academ.

Germ. etiam ad ſtudioſos ſui juris, & majorennes, proferantur, id ſingularem habet cauſam, quæ in Reip. ſalute, bonis ſtudioſorum moribus obtinenda, eſt poſita.

§. LXXII. In ejusmodi nonnullis ſtatutis Academicis, quantitas certa conſtituta eſt, ultra quam ſtudioſis, in rebus, potiſſimum luxuriam eorum promoventibus, fides haberi non debet. Quemadmodum id, ex variis variarum Academiarum ſtatutis, probat D. STRYKIUS, *in V. M. π. tit. d. SCto Maced.* §. 2. Vbi ſigillatim quoque, de ſtatuto Academiæ Fridericianæ, teſtatur, vi cujus cauponibus & ſimilibus hominibus, intemperantiæ pocula præbentibus, ultra ſummam V. Imperialium, ſtudioſis fidem habere, nefas eſt. Idem quoque obinet in Saxonia, ubi, mandato Electorali, de cambiis ſtudioſorum, *die 29. Dec. anno 1718.* promulgato, item altero, quod ipſo hoc anno, *die 31. Mart.* emanavit, æri alieno, contrahendo, certa ſumma, quæ ſimul conditioni ac nativitati ſtudioſorum accommodata eſt, præſcribitur, ibique diſerte mentio fit der Wein- und Bier-Schencken, it. der Wein- und Bier-Keller 2c. Atque id quidem certo documento, quantitatem, hic poſitam, ad debita quoque voluptuaria pertinere. Vnde quæritur, an creditores, qui modo infra hunc legalem terminum ſubſiſtunt, neque, ultra concurrentem iſtam ſummam, fidem habeant, ſtudioſorum luxuriæ & luxui pro lubitu atque impune inſervire queant. Id quod merito negatur, ſi dolus creditorum manifeſte concurrat. Fac itaque creditorem probe ſcire, quod ſtudioſus luxurioſe ac deperdite vivat, quod luxuria ejus augeatur, ſi eidem laxa habeatur fides, quod jam apud alios, ob res ſimiles, eodem tempore, ære alieno obruatur. Tum ſane, exceptionem doli, per jusjurandum eliciendi, objici illi poſſe, arbitramur. Quod ſi vero hic creditor, per modum replicæ, pro ſe dicat, difficilem quidem ſeſe fuiſſe, in fide, ſtudioſo habenda, huncque potius diligenter admonuiſſe, ut luxuria abſtineat, mutetque mores, ſed illum repoſuiſſe, ita ſe educatum eſſe, itaque omnium rerum affluentiæ aſſuefa-

ctum,

ctum, inde a cunabulis, ut sine luxuria vivere vix ac ne vix quidem possit, patrem, qui nunquam ipsum cupediis carere passus sit, certo soluturum esse, &c. Item, si probet creditor, quod pater filium sæpiuscule commonuerit, ut vinum bibat, ne genium defraudet &c. Tum certe existimamus, creditorem dolo, ni ex alio capite illius convincatur, plane purgatum esse, contra vero, patrem ad solutionem adigi posse, partim ob neglectæ bonæ educationis culpam, partim ob tacitum illius consensum. Cum enim filium, elegantioribus his præditum moribus, in Academiam misit, ipsi, quod domi non displicuit, comprobatum iri videtur, si, in Academia, eodem laudabili conatu non desistat filius. Qui vero vult finem, etiam media, ad eum obtinendum apta, velle censetur. Imo hoc in genere verum est, toties patrem, ære alieno filii studiosi, voluptate impellente, contracto, teneri, quoties ejus consensus expressus, aut tacitus, a creditoribus probari potest, per *l. 7. §. 15. l. 12. 16. D. SCto Maced. l. 2. 4. & ult. C. eod.* Id quod tum factum esse intelligitur, si ipsemet pater filio, apud cupedinarios, oenopolas, cerevisiarios ac similes homines, ampliorem fidem comparaverit, si semel iterumque, pro filio obærato, simili in causa, solverit, *arg. l. fin. §. quod cum eo, qui &c.* si de filii ære alieno, & vivendi ratione, certior factus, tacuerit, neque creditoribus responderit, *l. 16. D. d. SCto Maced.*

§. LXXIII. Deinde ex factis illicitis atque culposis, sæpe numero oritur æs alienum Academicum, si aliis vel damnum inferant studiosi, vel, occasione facti sui, teneantur. Ubi quidem damni dati restitutio, omni juri studiosorum singulari, prævalet, propterea, quod lex, de non lædendo altero, multo fortior sit, jure singulari, nec studiosorum conditio nocendi aliis licentiam illis tribuat. Pauca tamen hic delibanda sunt, quia in plerisque huc pertinentibus rebus regulæ communes, de non lædendo altero, & de damno dato resarciendo, servantur. Quo referendum, si studiosus mandatum rei illicitæ exequatur, si nocuerit aut ipse, aut per

per alios & res ſuas, u. gr. canes &c. ſi ſtuprum inferat puellæ, unde obligatio alendi partum & dotandi vitiatam, quam ducere non vult ſtudioſus, ſi fuſtibus equum conductum ita verberet, ut equus inde moriatur, item ſi quæratur, an condemnari poſſit ſtudioſus, ad emendam præſtandam. De his & ſimilibus, præter multos alios, videri poteſt REBUFFUS, *in tr. de privil. ſtudioſorum*, qui, hinc inde falſus, a D. LUDOVICI in viam reducitur. An ſtudioſus teneatur de effuſis ex ſuo cubiculo, vide BEYER. *ad Inſt. pag. 228. poſ. 11.* Quemadmodum vero alioquin ex delictis duplex naſcitur obligatio ſatisfaciendi, aut Reipublicæ, aut privatis hominibus, ita idem in ſtudioſorum cauſis uſu venit, quippe qui, ex legibus Academicis, præter damni privati reſtitutionem, poenas quoque pecuniarias, Reipublicæ ſolvendas, luunt, neque a ſumptibus & expenſis ſolvendis ac refundendis, ſine juſtitia cauſæ, aut privilegio ſingulari, immunes ſunt.

§. LXXIV. Cum in hanc rerum ſylvam incidamus, fatemur equidem, hic nobis, de multis utilibus rebus, eodem ſpectantibus, & quotidie obviis, differendi dari locum. Sed, ſi has res, ex voto, & animi ſententia, latius perſequi vellemus, verendum foret, ne diſſertationis limites excederemus. Quo circa ægre hic pedem referimus, & ad illa, quæ reſtant, potius accingimur. Late vero hucdum a nobis actum eſſe, credimus, de juſtis ac legitimis æris alieni contrahendi Academici cauſis. His igitur confectis, vi oppoſitorum & negationis, de debitis ſtudioſorum illegitimis ac reprobatis, facile nunc quoque conſtare poterit. Si modo id præterea moneatur, his non omnem validi æris alieni contrahendi Academici cauſam abſolvi, ſed ipſum, ſeſe obligandi, debitive probandi, modum, adeoque formam contractus, plurimum hic continere momenti. Quod ſi enim hæc res minus recte ſe habeat, debiti, alioquin veri, exactio aut plane impeditur, aut ſaltem difficilior redditur. Quare id primum operam dare ſolent creditores, ut, ſi re ad judicem ſpectet, debitum facile commodeque probare, & ſolutionem obtinere, queant. Verum hac ſpe ſua ſæpe

falluntur illi, quando obligandi probandique genus a debitore accipiunt, quod legibus non approbatur. Hujus rei illustri exemplo adducendæ hic sunt patriæ leges & sanctiones pragmaticæ, die 29. Decembr. Anno 1718. & die 21. April. 1724. promulgatæ. Quæ cum æris alieni Academici maximam aliquam contineant causam, operæ pretium omnino erit, uti earum sensentia hoc loco commemoretur, investigeturque.

§. LXXV. Quod redeat harum legum summa, ex verbis & ratione facile cognoscitur. Studiosos cambiali jure devinciri, serio prohibent, voluntque, nefas esse aliis, rigido hoc tenere vinculo studiosos. Has leges si non minus oculis, quam animo, intueamur, non, nisi illos complecti videntur studiosos, qui in Academia Vitembergensi & Lipsiensi, revera, studiorum causa, commorantur, ac nondum sui sunt juris, neque majorennes facti. Quæ hic breviter summatimque posita sunt, laudatis legibus omnino congruere, nunc paucis a nobis commonstrandum æque ac probandum est. Vtriusque autem Academiæ hic non ideo mentio fit, ut aliæ excludantur civitates Saxoniæ, quas Pater patriæ pari ornamento atque honore dignari posset, si ipsi placeret, sed, ut præsentia tantum literarum domicilia, demonstrentur, sive, ut technice loquamur, non restrictive sed demonstrative, nominatæ sunt utræque Academiæ. Requiritur vero primum, ut actu quis ibi moretur, & quidem studiorum causa. Quod utrumque haud difficulter colligitur, ex verbis mandati, die 24. Decembr. 1718. Daß hinführo die Studiosi, so auf einer von ermeldten Universitäten sich würcklich befinden ꝛc. Actualis hæc præsentia animum, ad certum tempus ibi commorandi, requirit, neque tamen brevi quadam absentia, quæ cum animo confestim redeundi conjuncta est, tolli aut mutari intelligitur. Adeoque, studiosum Vitembergensem, qui, recreationis causa, Cosvigum profectus, ibi cuidam cambium dedit, immunitate a cambiali rigore frui, putamus. Deinde, studiorum causa, aliquem

in

in dictis Academiis, & quidem sub earum jurisdictione, commorari oportet. Vbi tamen sola sufficere videtur confessio, quod quis eo adsit consilio, ut literis ibi navet operam. Inde consequi arbitramur, studiosos Academiae cujusdam, extra Saxoniam sitae, qui, per paucos aliquot dies, Vitembergae aut Lipsiae, commilitones quosdam, comprovinciales & amicos suos, invisunt, veluti forenses, eodem jure non censeri, vid. *Mand. d. 21. April.1724.* §. 5. Idem dicendum, de illis, qui ante, quam in duabus illis Academiis museum figant, alicubi valide sese jure cambiali obstrinxerunt. Id quod dicti mandati verba, Keine Wechsel-Briefe ausstellen, noch andere rc. solche von ihnen annehmen rc. evincunt, ubi utrumque, & datio & acceptatio cambii, eo modo, ut paullo ante diximus, ad Academiarum locum limitandum esse videtur. Jus enim, extra Saxoniam, creditori semel quaesitum, suspendi quidem potest, auferri non aeque. Sunt tamen utraeque illae Academiae his studiosis, dum ibi degunt, Asylo, contra creditores cambiales. Hoc enim rationi, quae Serenissimum, ad hanc legem ponendam, impulit, omnino congruit. Quo pertinent verba mandati, Selbige nicht nur an Besuchung derer Collegiorum und Fortsetzung ihrer Studien, mercklich gehindert rc.

§. LXXVI. Deinde, si prohibitio contractus cambialis ad aliquem studiosum pertinere debeat, vi mandati nostri, opus esse, supra asservimus, ut ille non sui sit juris. Huic rei, cum ex Jure Romano, tum aliunde, nonnihil lucis afferri meretur. Hic mirari desinas, quare negotium aliquod, ab homine, non suae potestatis, nec sui arbitrii, gestum, adeoque per se invalidum, nullum demum declarari operae pretium sit visum. Erant olim jure Romano studiosi, quam in Academiis, discendi gratia, versabantur quod ad facultatem aeris alieni, studiosorum causa, contrahendi, attinebat, veluti sui juris. Exulabat in illis, per hoc tempus, SCtum Macedonianum, uti supra, legibus suffulti, docuimus. Cum vero haec non, nisi in illi obtinerent

ære alieno, ubi aut versio in rem patris, aut ejus voluntas, pietate vel necessitate id maxime suadente, probari posset, itaque sæpissime obtingere solebat creditoribus, ut, quoties probatione legitima deficerent, causa quoque caderent ipsa. Hoc ne fieret amplius, cautionis loco, diligenter utendum censebant obligatione cambiali, moribus recens inventa. Qua ratione id se obtinere putabant, ut & omni probandi onere supersedere, & fraudes varias, quas avaritia & illicitum habendi studium suggerit, occultare possent. Cambii enim causa debendi, in mutuo, verbis, des Werths bin wohl vergnügt, expresso, generatim quidem posita est, inde tamen, de turpitudine & malitia creditorum, quæ hic sæpe latitat, vel de ipsius studiosi luxuria, in cujus causam mutuum forte sumpsit, simul constare nequit. Nec paritur cambialis processus indoles, ut remoræ injiciantur executioni, per rei cujusdam dubiæ probationem suscipiendam. Quin etiam, ex præsumptione legali, omnis studiosus, veluti miles togatus, non creditur in aliud quicquam pecuniam accipere & expendere, nisi in causas quasi castrenses. Id quod luculentissimo argumento *l. ult. §. 1. C. ad SCtum Maced.* hic asserimus. Quapropter, legibus hic Saxonicis, nihil sapientius, nihilque aptius, ad variis ac prope innumeris, brevi manu & via, occurrendum technis creditorum, excogitari potuit.

§. LXXVII. En itaque Tibi causam, cur Serenissimus Legislator Sax. studiosorum separatim hic mentionem fecerit, cum tamen illi, quod ad potestatem patriam attinet, cum reliquis hominibus, pari jure, in his legibus, censeantur. Etenim studiosis æque, ac ceteris hominibus, patria potestas perpetuo est obstaculo, quo minus, in Saxonia, utrique cambii jure, nolentes, volentes, teneri possint. In studiosis qui, cum aliis hominibus, in parentum sacris constitutis, loco ac jure hic semper conjunguntur, aliud quippiam & singulare aliquod constitutum esse, haud credimus, adeoque vix ac ne vix quidem nobis persuaderi patimur,

in

in præſenti juris articulo, ſtudioſos multo deterioris eſſe conditionis, ac reliqui homines. Potius, pro æquabili utriusque jure, argumenta, ex ipſis mandatis noſtris conquiſita, nunc adducemus, additis & aliis identidem cauſæ noſtræ firmamentis. Pari jure hic haberi, aut, quod eodem redit, adepta majorennitate Romana, & extincta, qua hucdum tenebantur, patria poteſtate, juris cambialis, eadem, nec diſſimili, ratione, participes fieri, & ſtudioſos, & alios homines, inde conſtat, quod, in præfatione mandati, d. 29. Decembr. 1718. injuſta parentum compulſio, ad ſolvendum, pro filiis, ſtudioſis, veluti princeps ac potiſſima hujus legis ferendæ cauſæ commemoretur. Deinde in ipſis verbis diſpoſitivis primo pronuntur perſonæ, quibus non integrum eſt, cum aliis cambiali jure contrahere. His deinceps alii, non prohibiti, homines ita opponuntur, ut inde veritas aſſerti noſtri, ſole meridiano, clarior evadat. Ipſa legis verba hic opponere operæ pretium, eſt quæ ita ſe habent, Daß hinführo die Studioſi &c. ſo wohl die minder-oder voll-jährig ſind, ingleichen auſſer denenſelben alle andere, ſo annoch unter väterlicher Gewalt ſtehen, keine Wechſel-Briefe ausſtellen ꝛc. Quæ verba ſine omni dubio id innuunt, ſtudioſos, ſive minorennes, ſive majorennes, (nam ſola majorennitate non ſolvitur patria poteſtas) item, præter hos, omnes reliquos in patria poteſtate adhuc conſtitutos homines, jure cambiali prohiberi. Vtrique hic communi patriæ poteſtatis vinculo conjunguntur, per verba, Ingleichen alle andere. Quodſi enim his verbis ſtudioſi non peræque continerentur, ſed illis reliqui, in patria poteſtate conſtituti, opponendi eſſent, ſua ſponte hoc conſequeretur incommodum, quod ſtudioſi, qua tales, non ſunt in patria poteſtate, quia oppoſitorum contraria eſt natura. Fit ergo hic duarum rerum ſimilium verbalis conjunctio, quarum una alteram trahit in exemplum. Studioſi enim condendæ legis potiſſimum dederunt occaſionem, ideoque eorum tantum fit mentio, in Rubr. Mandati noſtri. Studioſi vero, in patriæ poteſtatis quæſtione, hic

eam ob cauſam, cum reliquis neceſſario conjungendi fuerunt, uti illi, quod ad cambiales obligationes attinet, patriæ poteſtati, qua, propter liberam æris alieni contrahendi licentiam, hucdum ſoluti quodammodo videbantur, reſtituerentur, atque omnis prohibitionis cauſa aliqua communis, quæ in patria poteſtate ſita ſit, conſtitueretur.

§. LXXVIII. Qui itaque hic diſſentiunt, atque, præter poteſtatem patriam, ac minorennitatem, aliud quærunt impedimentum, hos neceſſario quoque exiſtimare oportet, homines alios, non ſtudioſos, cujuscunque generis ac farinæ, quibuscunque ſocietatibus aſſcriptos, quam primum ſui juris, & XXV. annis majores fiant, prudenter ac ſapienter res ſuas poſſe adminiſtrare, ſtudioſos vero, qua tales, nunquam. Id quod, ſine perpetuæ prodigalitatis objecto probrio, adeoque ſine inſigni eorum nota atque honoris labe, vix aſſeri poterit. Neque dura hæc opinio, quæ ſtudioſorum exiſtimationi haud mediocriter detrahit, legibus conſentanea eſt, quippe quæ nullibi diſerte volunt, prohibitam cambialem obligationem ad ſtudioſos, qui juris jam ſui & majorennes facti ſunt, quoque pertinere debere, ſine expreſſis vero verbis, juſto longius ac licentius, in rebus odioſis & legibus correctoriis explicandis, progredi haud licet. Fallunt itaque & falluntur, qui hac hypotheſi laborant, & nihilo tamen ſecius has leges Saxonicas ad beneficia ſtudioſorum referre volunt, confer. quæ ſupra §. 3. dicta ſunt. Sed ut de argumenti, quo aſſertio noſtra nitatur, vi ac robore eo plenius conſtet, aliud hic addemus juris momentum, omni, ut putamus, exceptione majus. Omnibus fatentibus, optima hæc eſt leges interpretandi ratio, qua, legis ambitum, ſine exceptione illius, ignorari, traditur. Vnde id vulgare, exceptione confirmari regulam, in caſibus non exceptis. Debimus itaque nunc operam, ut exceptiones, quas leges præſentes ipſæmet admittunt, commonſtremus, cognita enim exceptione, de ipſa regula, non poterit, non manifeſtiſſime conſtare. Exceptio vero in mandato noſtro

his

his innuitur verbis, Also ist es hingegen auf andre, so wohl Universitäten, als ausser denenselben die Majorennes, welche zwar unter der Patria potestate stehen, dabey aber ein absonderliches peculium und eigenes Vermögen haben, oder Doctores sind, und Praxin exerciren, oder selbst andern Collegia halten, desgleichen diejenigen, so würcklich Handlung treiben, keinesweges zu extendiren rc. Probe hic notandum, eos, qui in Academiis commorari dicantur, in dubio præprimis studiosos, discentes, qui jurisdictioni Academiæ subsunt, aut subesse debent, intelligi. Quod alia verba antecedentia, Daß viele andere nicht studirende, oder auf Universitäten sich würcklich befindende rc. evincunt. Quanquam, vi relatorum & correlatorum, docentes alioquin non excluduntur. Quare, cum hic illorum, qui in Academiis vivant, generalis fiat mentio, quomodo studiosi eorum numero eximi debeant, non videmus. Est enim ipsa exceptio generalis, &, quanta quanta illa quoque sit, patriæ tamen potestatis terminis conclusa, quoniam, extincta patria potestate omne bonorum & peculiorum discrimen definit, *l. ult. §. 2. C. d. in off. testam.* Quare exceptio hæc in studiosis, majorennibus, & potestati patris adhuc subjectis, æque locum obtinere potest, quia studiosi æque peculii sunt capaces.

§. LXXIX. Putamus itaque, homines & togatæ militiæ & reliquos, toties facere exceptionem, quoties peculium aliquod possident. Vbi tamen, quod ad illos, qui, studiorum cursu confecto, discentiumque numero jam exierunt, attinet, satis esse videtur, si modo in acquirendi peculium proxima conditione sint constituti, quod arguunt verba, Oder Doctores sind, und Praxin exerciren, oder selbst andern Collegia halten, rc. Quis enim asseret, peculium statim habere aliquem, aut ope paterna penitus carere posse, ex quo quis Doctor, aut causarum patronus, factus, vel alios literis erudire coepit. Hos tamen omnes, qua tales, non qua possessores peculiorum, juris cambialis capaces esse, censet Legislator Serenissimus, simulque eos, per particu-
lam

n disjunctivam, Oder, hic opponit aliis, qui quidem exceptione itidem continentur, sed non aliam ob causam, quam, quod peculiam actu possideant, & qui non, nisi ob actualem peculii possessionem, regulæ eximuntur, quod indigitatur per vocabulum Haben. Solvas itaque ænigma illud, quinam sint illi homines, qui sui quidem juris non sunt, nec Doctores, nec docentes, neque Advocati, majorennes tamen, qui habeant peculium quasi castrense & vivant in Academiis. En nodum, scilicet Gordium, quem homuncioni solvendum relinquimus.

§. LXXX. Quando hic homines sui juris excipiuntur a regula, hoc non est intelligendum, de plenaria liberatione a patria potestate. De hac enim, si cetera sint paria, non, nisi quæstio Domiciana moveretur. Etenim id jam antea omni dubio caruit, quod homines, plenissime sui juris & majorennes, pro lubitu, cambiali sese nexu irretire potuerint. Quare non est, ut mandata Saxonica, ad ejusmodi homines, invitata Minerva, trahantur. Neque huic assertioni nostræ obsunt verba mandati de Anno 1718. Sondern es verbleibet wieder dieselben und andere, die von der Väterlichen und Vormünder Gewalt befreyet, ihr eigen Wesen haben, das Wechsel-Recht ein für allemahl bey völligen Kräfften ꝛc. Distinguendum enim est inter exceptionem ipsam, & illud, quod ejus declarandæ ac demonstrandæ causa, a Legislatore adducitur. Ad illam non pertinent dicti homines, quia regula nullo modo ad eos spectat, sed homines sui juris suæve tutelæ, juris, quod hic constituitur, illustrandi & commonstrandi causa, adduntur, adeoque magis ad prædicatum, quam ad subjectum pertinent. Quapropter is insigniter falleretur, qui adducta verba captare, indeque a contrario elicere vellet, patresfamilias, qui separatas tamen non habent a patre rationes, nec patris quotidiana ope carere possunt, ad exceptionem ideo non pertinere, quoniam, in Mandato, patrisfamilias propriam habentis oeconomiam mentio fit. Quis ergo hic non videt, com-

committi fallaciam non causæ ut causæ. Vt aliquis jure cambiali teneri possit, præter suam potestatem & oeconomiam, etiam majorennitas, in *Mand. de Anno 1724.* ad annos XXV. producta &c. requiritur. Quam rem etiam ipse Legislator, in *Mand. de Anno 1718.* sat luculenter innuit, per verba, und Vormünder Gewalt befreyet ꝛc. quod intelligendum est, de majorennibus. Quare nunc potius ex verbis & sententia Legis colligitur, ad facultatem, cambialiter contrahendi, obtinendam, post majorennitatem adeptam, nihil amplius requiri, quam ut quis sui sit juris. De cetero, si, occasione verborum, in mandato occurrentium, **die von der Väterl. und Vormünder Gewalt befreyet**, quæreretur, an Legislator hoc de morte, veluti modo tollendi patriam potestatem, communiter contingente, cogitet, quæstio hæc foret scholastica & plane nullius utilitatis, ac responsio falsa, siquidem emancipatio frequentior est omnibus reliquis modis, MARCIL. *ad Inst. Tit. quib. mod. jus patr. &c. pr.*

§. LXXXI. Cum, patriæ potestatis plenaria solutione hic non opus esse, supra asserverimus, quid hæc sibi velint, nunc dicendum est. Solum peculium aliquod, imo, in Doctoribus & Advocatis, sola occasio, peculium acquirendi proxima, sufficit, ac libertatem, cambialis contractus celebrandi, præstat. Verba *Mand. de Anno 1718.* quæ huc pertineant, jam antea allata sunt, add. *Mand. d. An. 1724. §. 1.* Quale vero hic sufficiat peculium, dictæ leges Saxonicæ luculenter ostendunt. Interim, ne hic, cum aliis, labamur & a scopo abludamus, quid caput rei sit, breviter monebimus. Videlicet hic non quæritur, de tempore, ante vigesimum quintum annum completum, sed post. Nam ante illum annum, nullum attenditur peculium, cujuscunque sit generis, *per §. 1. Mand. Regio-Elect. de anno 1724.* Quod ergo ad alterum tempus attinet, de Castrensi & quasi Castrensi, per leges patrias, res expedita est & clara. Illi, qui ejusmodi peculia habent, non sui juris, sed illis, qui sui juris sunt, haud absimiles esse, in Jure Romano, dicuntur, confer. *l. 7. §. 1. C. ad SCtum Maced.*

Qui hic diſſentiunt, ſibi non conſtat, commemorata tempora non diſtingunt, odioſa cum privilegiis confunduunt, & tandem, in explananda hac re, luce meridiana clariori, ſine tormentis ſemetipſos torqueat. Imo peculium quoque adventitium irregulare, poſt XXV. annos, filiumfamilias juris cambialis participem reddit, per *Ord. recognit. Append.* §. *11.* ubi hæc verba leguntur, und die, ſo ſich noch in Väterlicher Gewalt befinden, da ſie nicht ein peculium Caſtrenſe, oder quaſi Caſtrenſe, oder adventitium irregulare haben, ꝛc. quare illos, qui JCti nomen tueri cupiunt, diſſentire hic, contra diſerta legis verba, pudeant cum rubore.

§. LXXXII. Quod tandem reliquum eſt juri cambiali obſtat minorennitas, intra quam nulla peculiorum poſſeſſio id efficit, ut filiusfamilias cambiali nexu ſeſe alteri obligare poſſit, per *Mand. d. A. 1718.* ob verba, alſo iſt es dagegen auff anderen, ſo wohl auff Univerſitäten, als auſſer denſelben die majorennes &c. Hujus majorennitatis terminum XXI. annis completis obtineri, ex *Jure Prov. Sax. Lib. 1. artic. 42.* conſtat, ubi hæc leguntur verba, über XXI. Jahr iſt der Mann zu ſeinen Tagen kommen, ſive ex *editione Zobeliana*, Over ein und twintich Jarn, ſo is de Man to ſinen Jaren komen. Schilterus vero *E. XI.* §. *26.* ex MSto, ita legit, Over ein und twinzig Jaren, ſo iſt der Mann zu ſynen Jahren kommen, quo ipſo vulgaris lectionis verba, zu ſeinen Tagen kommen ꝛc. emendantur. En itaque majorennitatis Saxonicæ originem. Sed probe hic monendum, ipſum hoc majorennitatis ſpatium, in cambiali negotio, ſi excipiantur mercatores, ad completum XXV. annum productum eſſe, per *mandatum Regio Electorale de anno 1724.* §. *1.* Quod alioquin eſt majorennitas juris Romani. Rationes Civiles, cur veteres Saxones alium, eumque breviorem majorennitatis terminum, ac Romani, conſtitutum habuerint, nunc pauciſſimis demonſtrabimus. Si audiamus Carpzovium, *P. 11. Conſt. 11. D. 9. n. 2.* cauſa civilis hæc eſt, quod in terris Saxonicis maturius aliquando ſapiant homines. Quæ vero ratio compluri-

plurimis aut ridiculosa, aut non sine aliarum, in primis Romanarum, gentium, indignatione, & contra omnem veritatem, excogitata, esse videtur. Sed optimo hic jure defendere licet Benedictum, Saxoniæ, suo tempore, Papinianum. Nullius gentis per hanc assertionem detrahitur honori. Sapere satis tum dicitur aliquis, si tanta valeat prudentia & sapientia, ut, in custodiendo patrimonio suo, contra reliquorum hominum fraudes atque technas, sibimetipsi sufficiat. Quo ergo major est aliorum hominum, in aliqua Republica, astutia, majusque decipiendi studium atque artificium, eo sane majori ab his sibi cavendi semper opus est solertia & dexteritate. Romani, quanta cum sagacitate, alterum decipiendi studiosi fuerint, ex multis Romani juris articulis, abunde constat. E contrario veteres Germani, in primis Saxones, bonæ fidei tenacissimi, a defraudandi consilio, Romanis, erant alieniores. Adeoque tantum periculi, ab aliorum malitia, iuventuti Germaniæ, quæ, cum annis, judicii assequebatur maturitatem, haud metuendum erat. Quare citius, & quidem jam vigesimo primo anno, tanta prudentia, quæ, ad cavendum ab aliis, sufficere poterat, pollere videbantur juvenes. Sed de hac antiqua morum integritate mirum, quantum, nostro quidem ævo, remissum sit. Quamobrem, aliorum crescente hominum nequitia, iuventuti, sigillatim, quod ad cambialem attinet obligationem, laxiori majorennitatis spatio, ad XXV. annum prolato, sapientissime consulendum, censuit Potentissimus Serenissimusque Legislator Saxonicus. Hæc coronidis loco dicta sunto, finemque nunc imponimus Sectioni primæ.

SECTIO SECUNDA
DE
AERIS ALIENI ACADEMICI, SOLVENDI RATIONE.

§. I.

SAtis ſufficienterque hucdum actum eſt, de ære alieno Academico, valido, aut minus tali. Sequitur nunc, ut de ſolutione quoque, ac rebus, eo ſpectantibus, pro inſtituti ratione, dicamus. Quæ cum ſit conſilii noſtri ratio, prorſus alienum ab illa eſt, debitum, minus valide contractum, de hujus enim ſolutione vix cogitare attinet. Poſſumus vero, quæ huc pertinent, ad duo capita commode revocari. Primum de mediis ſolvendi, ſive de objecto executionis, in debitis Academicis, deinceps de modo cogendi, ad ſolvendum & de ſolutione ipſa, acturi ſumus. Solvendi media ſtudioſo abærato multa ſuppetere poſſunt, quorum frequentiora ſunt, ſi peculium aliquod poſſideat ſtudioſus, aut, ſui juris factus, in patrimonio aliquid habeat, ſi pignora creditoribus dederit, ſi hæreditas illi obveniet, &c. Peculia filiorumfamilias non unius eſſe generis, conſtat, in aliis patri neque proprietas, neque uſusfructus, competit, ut eſt caſtrenſe, quaſi caſtrenſe & adventitium irregulare, in aliis non, niſi uſumfructum ille habet, uti in adventitio regulari, alia vero, videlicet profectitia, pleno jure ad patrem ſpectant. Horum hic nulla habetur ratio, neque enim refert, unde ſumat pater, ſi, pro filio, ſtudioſo, obærato, ſolvat. Reliquæ vero peculiorum ſpecies plurimum juris momenti hic continent. Etenim, ſi debita ſtudioſi ita comparata ſint, ut & filius & pater eorum nomine teneatur, ante, quam hic conveniatur, primum filius, peculiorum poſſeſſor, excutiendus eſt, *arg. l. 5. §. 7. D. d. agnoſcend. & alend. lib.* Imo interdum ſolus filius obligatur, ubi peculio tenus conveniri poteſt, nec pater jus contradicendi habet. Quod ſecus eſt, in adventitio regulari, niſi patri quoque ſolvendi

onus

onus incumbat, aut filii necessitas, peculii alienationum fieri, jubeat, *l. ult. §. 4. & 5. C. de bonis, quæ liberis &c.*

§. II. Sed, de singulis peculiis, quatenus creditoribus Academicis solutionem suam inde expectare liceat, nunc sigillatim exponemus. Ad castrense, quod attinet, nullum dubium est, quin executio in illud fieri possit, ob debita, in militia togata, contracta. quoniam ejusmodi peculia plenissime ad filiumfamilias spectant, neque vero aliquid intelligitur in alicujus esse patrimonio, nisi æs deductum sit alienum. Inde est, quod creditoribus, etiam non castrensibus, e peculio castrensi, solvi oporteat, *l. 4. C. d. execut. rei jud. l. 7. D. d. Castrens. pecul.* Quæ quidem leges id non, nisi in subsidium, salvoque competentiæ jure, fieri permittunt, *l. 6. l. 18. D. d. re jud.* Sed sine dubio idem, in creditoribus quasi castrensibus, obtinet, quippe qui cum castrensibus pari jure frui censentur. Quodsi itaque studiosus obæratus, studiis vel plane desertis, vel absolutis, in militiam eat, atque peculium castrense acquirat, executionem in illud fieri posse, ob debita Academica, nullum est dubium. An vero idem obtineat, si forte studioso, in militiam abituro, qui tamen adhuc in Academiis, ut studiosus, vivit, intuitu militæ aliquid acquiratur. Ratio dubitandi hæc posset moveri, quod peculium castrense nondum adesse intelligatur, nisi quis actu jam miles sit, *tot. tit. C. de castr. pecul. mil.* Cum autem castrense hic nondum sit, ergo interim, donec tale fiat, per actualem militiam, ad peculium adventitium regulare forsitan referendum est, ubi patri ususfructus competit, ob quem alienationem prohibere potest. Sed verosimilius est, illud, interjectio tempore, peculio adventitio irregulari omnino accenseri, nam ea conditione filio datum esse intelligitur, ut pater non habeat usumfructum, ex intentione conferentis, cum, quod datur, peculio castrensi cedere debeat, *l. 8. D. d. pecul. castr.* LAUDERBACH. *Disp. de pecul. advent. irregulari Thes. 12.*

§. III. Quasi castrense, quin ad æs alienum Aca-

demicum ſolvendum trahi poſſit, nihil dubii habere videtur. Ea tamen quæſtio palmaria hic præprimis expedienda eſt, an ejusmodi peculium in ſtudioſos cadat. Animadvertimus enim, nonnullos ad peculium quaſi caſtrenſe requirere, ut filiusfamilias ſtudia compleverit Academica, & militare jam, in militia togata, coeperit, vid EMANUEL. MENDEZ, *de peculio, P. 4. n. 169.* Sed hic ſubſcribendum cenſemus ſententiæ HARPRECHTII, *ad §. 2. Inſt. de Donat. n. 8.* STRYKII, *de Succeſſ. ab inteſt. Diſſ. II. c. 3. §. 8.* quos ſequitur SCHOEPFF. *ad π. tit. d. pecul. n. 18. ſqq.* quod ſtudioſus, tyroni militi, novitur lecto, æquiparari poſſit, *l. 1. C. d. Caſtrenſ. pecul.* ad eandem legem provocat LAUTERB. *in Colleg. Theor. Pract. ad π. tit. d. pecul. th. 14. p. 990.* cujus veſtigiis inſiſtit LYNCKER. *in Analect. ad π. d. t. p. 191. th. 66.* Etenim ad hoc peculium non ſolum pertinet, quod aliquis, in militia togata, ſua induſtria ipſe acquirit, ſed &, quod, intuitu ſtudiorum & ad ſtudia, filiofamilias donatum eſt, eodem referri debet. Jus vero, peculii quaſi caſtrenſi acquirendi, nanciſcitur ſtudioſus, ex quo in album literarium Academiæ deſcriptus eſt. Quo tempore omnibus juribus ac privilegiis ſtudioſorum uti fruique incipit, modo tamen jam in Academiis, ut tyrones togatæ militiæ, militent. Scholares enim, qui ſtudioſis Academicis alias opponuntur, ab ejusmodi militia togata longe adhuc abſunt. Jus peculii quaſi caſtrenſis retinetur, quamdiu quis filiusfamilias eſt, nec ſtudia deſerit. Ad hoc peculiorum genus referre non dubitamus ſtipendia & beneficia, quæ ſtudioſis a Principibus & aliis tribuuntur. Cum enim hæc in uſum ſtudiorum conferri debeant, itaque, æri alieno Academico ſolvendo impendi, convenit. Nec obeſt, quod ſtipendia ab arreſto ſint immunia, vid. BARBOS. *voce ſtipendium, & voce ſtudioſus p. 312.* Siquidem hoc ſine dubio, in debitis Academicis, quæ a legibus approbantur, exceptionem admittit. Inde quotidie videmus, ſutores, ſartores, hoſpites, aliosque, ſtipendia præcipere. Proficiſci quoque poteſt peculium quaſi caſtren-

strense ab ipso patre & a matre studiosi. Fac ergo, patrem, in futurum filii usum, pecuniam aliquam seponere suetum fuisse, quoties filius vel specimen aliquod diligentiæ suæ edidit, vel spem bonæ indolis illi confirmavit, quæ pecunia vocari vulgo solet, die Spahr-Büchsen-Pfennige, aut matrem, pro filio, futuro studioso, nonnihil pecuniæ clam collegisse, quod vulgo appellatur die Mutter-Pfennige. Hanc pecuniam, si æs alienum Academicum gravans id urgeat, solvi, pro filio obærato, oportebit. Tum enim illud tempus illuxit, quo peculioso isto quam maxime indigeat filius.

§. IV. Eodem loco habemus peculia adventitia irregularia. Hæc enim, in studiorum causam, expendi, indeque æs alienum Academicum solvi, oportet. Cumque plenam eorum proprietatem habeat studiosus, nec patri, nec aliis contradicendi jus competit, nisi forte ea sit conditione datum, ut in æs alienum Academicum, dissolvendum, non erogetur. Ubi tamen id ad usuras extendendum haud esse videtur, si ab his forsitan expectare solutionem velint creditores Academici. De muneribus baptismalibus hic quæri attinet, quo referri illa debeant. Magno hic dissidio atque dissensu distrahuntur Doctores. Ad peculium quasi castrense, ob pugnam, contra Satanam, mundum & carnem, in baptismo suscipiendam, referre non dubitat RADOVIUS, *Disp. de pecunia lustrica, lenæ 1677. habita, c. 4. §. 6. seqq.* THOMAS. *ad Strauch. Diss. 22. th. 6. p. m. 579. Id. ad π. de peculio, p. m. 183.* pro peculio profectitio contendit LAUTERB. *in Compend. ad π. Tit. de peculio p. 260.* BRUNNEMANNUS, *ad l. 19. D. d. peculio.* In primis, si, intuitu patris, plus, sveto ac in legibus dedeterminato, datum sit. MEVIUS, vero *P. IX. Decis. 63. n. 1.* ad adventitium pertinere, putat. Pro utroque, regulari & irregulari, probabiliter pugnari posse, existimat TITIUS, *ad Lauterb. d. l. obs. 434.* Sed assentimur hic celeberrimo BOEHMERO, *ad π. Tit. de pecul. §. 20.* qui, pecuniam lustricam, das Pathen-Geld, ad extraordinarium peculium adventitium referendam, censet. In dubio enim patrini, quam plenissime

fieri

fieri poteſt, infanti donaſſe videntur. Hujus aſſertione nixi, munera baptiſmalia ſtudioſi, patrem, etiam invitum, ad diſſolvendum æs alienum Academicum, exſolvere oportere, arbitramur.

§. V. Bona ſtudioſi adventitia, quæ appellant regularia, in quæſtionem nunc quoque veniunt, ubi ſane multa dubia hujus quæſtionis deciſionem circumſtare videntur. Quorum illud maximum eſt, quod pater, ex ejusmodi bonis, habeat uſumfructum legalem, pro privari ille non poteſt, per debita filii, indeque oritur novum dubium, an, ob æs alienum filii, executio fieri poſſit, in illa bona, an, in ipſum uſumfructum patris, de qua re late diſquirit MENDEZ. *l. c. P. 2. n. 135. ſeqq.* Sed, quod ad æs alienum Academicum attinet, probe diſtinguendum erit, utrum filius tantum, an pater quoque in ſubſidium, ad ſolvendum, obſtrictus ſit. De utroque e ſectione prima conſtabit. Si hoc, res dubio caret, ſicuti omnia patris bona, ita quoque uſumfructum, qui percipitur ex ejusmodi peculio, ære alieno Academico filii affici. Neque oneri ſolvendi ſeſe ſubducere pater poteſt, ſi vel maxime urgeat, tantum jam pecuniæ transmiſſum eſſe filio, ſtudioſo, quo peculium adventitium penitus exhauſtum ſit. Manet enim nihilominus ille in ſubſidium obligatus, & dicta exceptio peculii, filio jam plene ſoluti, eum non magis iuvat, quam alioquin exceptio ſufficientis pecuniæ transmiſſæ, de qua ſupra Sect. I. §. 15. jam actum eſt.

§. VI. Quod ſi vero filium ſolum æs alienum ſolvere oporteat, aut ſi multo citius faciliusque creditores ſuum obtinere poſſent e proprietate & patrimonio filii. Primum ſæpius evenire poteſt, u. c. ſi ſtudioſus, invito patre, literis operam navet, vel ſolvendi neceſſitas, e factis illicitis naſcatur, &c. Hoc & altero caſu, cum patre, de peculio tradendo, vehementer contendere ſolent creditores. Contra quos plerumque in promptu eſt patri exceptio peculii, ſtudiorum ſumptibus jam exhauſti. Hic tamen, niſi veritatem aſſertionis ſuæ plene aſſtruat, plane audiendus non eſt. Ubi quidem,

quidem, hujus rei expediendæ cauſa, quæri aſſolet, utrum, pater, quod filio in Academiam miſit, de peculio filii, an, de patrimonio ſuo, ſumpſerit. In hunc modum quæri illo tempore non poteſt, quo filius nondum habuit peculium, ubi, pater quod ſtudiorum cauſa erogavit, omnino donaſſe cenſetur, confer. PETRUS SURDUS, *de aliment. quæſt. 12.* Loquimur ergo de patre, qui, cum pecuniam mitteret filio, ſtudioſo, jam fuit peculii filii ſui adminiſtrator. Hanc controverſiam ex inſtituto movet FRANCISCUS MUNNOZ DE ESCOBAR, *in tr. de Ratiociniis Adminiſtratorum, c. 22. n. 30. ſeq.* ubi aſſerit, indiſtincte tenendum eſſe, quod, quicquid pater, adminiſtrator bonorum filii, pro ipſo filio alendo, diſciplinas addiſcendo &c. præſtiterit, de eisdem bonis filii conceſſiſſe videatur, & in calculo ipſi patri ſit recipiendum, quoniam pater non præſumitur donare, ſed adminiſtratorio nomine filio alimenta exhibere, *l. 43. §. 1. D. d. adminiſtr. & peric. tut. l. 5. D. Quando ex facto tutoris.* His ab aliis additur *l. 34. D. d. negot. geſtis. l. ult. D. d. hered. petit.* CARPZOV. *P. III. C. 11. D. 19. n. 5. & 6.*

§. VII. Verum nihilominus, pro ſtabilienda ſententia contraria, potior nobis videtur *l. ult. C. d. dotis promiſſione.* Qua lege etiam nititur SIMON VAN LEEVWEN, *in Cenſ. Forenſ. Lib. 3. c. 13. n. 16.* & ſolida ratione eam juvant MYNSINGER. *Lib. 5. Obſ. 32.* ALCIAT. *de præſumpt. I. 26.* Quod enim in illa lege dicitur de filii donatione ante nuptias, illud optime quoque ſtudiorum cauſæ congruit, nam id etiam paterni eſt officii in ſtudia erogare, ſi filius eis deditus ſit & ab ipſo patre conſecratus. Accedit quod ſtudiorum favor in jure idem habeatur, ac matrimonii, BESOLD. *theſaur. Pract. ſub voce, ſtudioſus.* Deinde ex hac lege id colligimus, plurimum dandum eſſe conjecturis, ac videndum, in primis, quæ ab initio fuerit patris voluntas, verbis aut facto declarata. Quodſi ergo pater ſimpliciter dixerit filio, proficiſcere in Academiam, diligenter incumbe ſtudiis, ſubminiſtrabo tibi ſumptus, aut ſi dederit ipſos ſumptus, nulla

facta mentis declaratione, unde illos sumpturus sit, aut, si in reliquos filios, studiorum causà, de suo impenderit pater, aut hic nobilis sit, *Cap. 1. X. de Donat.* confer. *Generos. Domini* ADAMI FRIDERICI DE PONICAV *disp. de præcipuis nobilium virtutibus*, paucis ante diebus, in hac Academia publice ventilata, *§. 26. seqq.* Nobiles enim semper donare Præsumuntur. Quoties itaque hæc talia contra patrem militent veritatis documenta, nulla ipsi habetur fides, si pro se dicat, peculium adventitium studiorum sumptibus jam esse consummatum.

§. VIII. Largiere itaque nobis, in salvo hucdum esse peculium adventitium, nisi pater, justo tempore ac modo, aliam voluntatem manifestaverit. Sed, cum res ita se habeat, amplius nunc quæritur, utrum executio in ipsum hoc peculium statim fieri possit, an, donec sui juris fiat filius, illa differenda sit. Primum, quo minus affirmetur, maxime prohibet patris ususfructus, cujus ille jacturam pateretur, si ipsum peculium, per executionem, auferretur. Est enim hic ususfructus legalis, *§. 1. I. per quas person. nob. acquir. l. 1. 2. C. d. bon. matern. l. 1. 5. 6. C. d. bon. quæ liber.* In cujus præjudicium nihil possunt suscipere liberi, omnesque alienationem species prohibitæ sunt, *l. 8. §. 5. vers. filiis autem familias &c. C. d. bonis quæ lib.* Exceptio tamen ab hac regula constituitur, si, expressa vel tacita patris voluntate, filius peculium adventitium regulare administret, *l. 6. §. Sin aut. res C. eod.* Deinde in delictis exceptio admittenda, ob *l. 3. §. 11. D. d. pecul. l. 35. D. d. noxal. act. l. 15. l. 57. D. d. judiciis.* Imo filiusfamilias obæratus potest bonis & omnibus peculiis cedere, *l. 7. C. Qui bonis ceder. poss.* Hæc omnia, si probe perpendamus, verosimile nobis videtur, creditorum jus sæpenumero potius esse ususfructu paterno. Id quod tum plenissime, contra patrem, asserendum est, si filius, sine patris consensu, liberales artes sectetur. Vbi sane studiorum favor eo valere debebit, ut pater, qui studiorum sumptus filio subministrare noluit, de bonis filii debita

bita Academica ſolvat. In reliquis caſibus, quorum tamen pauciſſimi ſunt, ubi executio, donec patris deſinat uſusfructus, differenda eſt, patrem, judicis officio, ad cautionem, de peculio hoc adventitio diligenter cuſtodiendo, atque, patria ſoluta poteſtate, non filio, ſed creditoribus, tradendo, adigi poſſe, arbitramur, in primis, ſi creditorum cauſa, ſine illa cautione, periculi plena eſſe videatur.

§. IX. Commonſtratum huc dum eſt, quomodo ſtudioſus, filiusfamilias, qui peculia poſſidet, ſolvendo eſſe poſſit, aut minus, nunc quoque, de ſtudioſo obærato, qui ſui juris eſt ſuæve tutelæ, videbimus. Vniverſa ejus bona, ſive ſint mobilia, ſive immobilia, ſive nomina activa, ſi ſuppetant, pro ære alieno, ſolvi debent, atque in illa fieri poteſt executio, niſi, quædam ſpeciatim excipienda eſſe, doceatur. Quorum numero non habentur faudalia & fideicommiſſo obnoxia, quemadmodum præjudicio confirmat Müllerus, *Reſol. Pract. 62. n. 32.* & copioſe tuetur Knipschildt. *de fideicommiſſis familiarum, c. 2. §. 5.* add. Menoch. *lib. 4. præſumpt. 191. n. 12. ſeqq.* Surdus, *de alimentis, Tit. 8. q. 19.* Vnde cognoſcimus, æs alienum Academicum, ex moribus Germaniæ, ad onera feudi referri, &, ob id, bona, quoque fideicommiſſo ſubjecta, alienari poſſe. Quod tamen non, niſi in ſubſidium &, ſi nec reliqua debitoris bona, nec fructus, ex illis percepti, aut percipiendi, ſufficiant, admittendum eſſe videtur. In reliquis bonis, alienari prohibitis, uſusfructus, qui inde percipitur, executionis objectum itidem conſtituit, ita, ut in fructus immitti poſſint creditores Academici. Data hic occaſione, non incommode quæritur, an de univerſis bonis, jam acquiſitis, vel demum acquirendis, aliquid detrahere, ſibique retinere poſſit debitor Academicus, dum, vel bonis præſentibus cedit, vel competentiæ beneficium ſibi aſſerit. Quare hic in controverſiam nobis venit, an ſtudioſus obæratus beneficium competentiæ habeat. Quibus perſonis, & ex qua cauſa, illud competat, DD. ad *π. tit. de re judicata &c.*

ta &c. diligenter tradere solent. Sed, cnm juris dispositiones, ad æs alienum Academicum, hic accommodare studeamus, ex duplici causa, hoc juris remedium studiosis competere in primis posse, credimus, vel ob bonorum factam cessionem, vel intuitu militiæ togatæ &c.

§. X. Primum extra dubium est positum, *§. ult. Inst. d. action. l. 4. D. d. ceff. bonor.* Neque, hoc flebili, quo alterum gignitur, juris beneficio uti ullibi prohibentur studiosi, modo hi non sint debitores fraudulenti, qui luxuriose vivendo, potando, ludendo, scortando &c. patrimonium suum dissipauverint, aut, cedendi consilio, æs alienum contraxerint, scientes, se nunquam solvendo fore, qui animum fraudandi habuerunt, quod, vocabulo allegorico, prellen, vocant. Deinde, studiosum extraneum bonis cedere posse, negat BALDUS & MORNACIUS, quos in partes vocat WISSENBACH. ad *π. P. 11. Disp. 21. th. 19.* Facta bonorum cessione, omnes res, quas in patrimonio & bonis habet debitor, ne teruncio quidem recepto, in creditorum manus veniunt, *l. 6. D. d. Ceff. bonor. l. 1. 4. 6. qui bon. cedere poss.* Ita, ut, secundum juris rigorem, ne alimenta quidem debitori relinquenda sint. Sed nihilominus studioso, cedenti, libros relinquendos esse, cum P. GREGORIO THOLOSANO, asserit LAUTERBACH, *ad jus provinc. Würtenb. P. I. Tit. 76. th. 101.* Quæ vero studiosus postea, quam cessit, acquirit, si nondum plene ære alieno exutus sit, solvere quidem debet creditoribus, deducit tamen necessaria vitæ alimenta, *l. 14. 6. 7. D. d. ceff. bonor. §. ult. I. d. Act.* quibus etiam studiorum sumptus continentur. De illius, quod relinquendum postea est debitori, determinatione, vid. *l. 173. D. d. R. I.* HUBER. *ad π. tit. de re judicata §. 57. p. 405. sqq.* Videlicet hic non honoris, ac dignitatis, sed simplicis necessitatis tantum, habetur ratio.

§. XI. Verum ad alterum nunc momentum festinandum nobis est, ubi sigillatim id quæritur, an studiosi, etiam sine bonorum cessione, beneficio competentiæ gaudeant.

Hic

Hic nobis ſermo non eſt, de illo ejus beneficii genere, quod *l. 2. & 4. D. quod cum eo, qui in alien. &c.* filiisfamilias, adeoque ſtudioſis etiam, recens ſui juris factis, impertiunt. Sed potius loquimur, de ſtudioſis, qua talibus. Hos togatæ militiæ tyrones identidem ſupra appellavimus. Pertinent ergo ſtudioſi ad militiam illam togatam, cujus milites eo fruuntur juris beneficio, vid. *Magnif.* D. WERNHERI *diſp. de beneficio competentiæ, c. 3. th. 8.* THOMAS. *ad* HUBER. *l. c.* Quæ aſſertio non ſolum communi obſervantia & uſu nititur, verum etiam a ratione Juris Romani non abhorret. Ibi enim percelebris eſt argumentatio, a militia ſagata, ad togatam, de qua legi meretur EBERHARD. *in loc. legal. 28.* Imo ipſe Imperator Juſtinianus, cum in *prooem. Inſt.* tum paſſim, in jure noſtro, haud obſcure innuit, id ſe maxime velle, ut, quoad fieri commode poſſit, utraque militia pari honore eademque munificentia digna habeatur. Hæc cum ita ſint vera, majus quoddam, ſimplici rationis ſimilitudine, momentum, pro aſſerendo ſtudioſis competentiæ jure, facere videtur. Neque obſtat utriusque militiæ diſſimilis ratio, ob quam DIV. HORNIUS, *diſp. de beneficio competentiæ, civitatibus non competente, §. 14.* HILGERO & aliis aſſentitur. Verſamur enim hic in re aliqua, ubi & ipſæ leges, ob æquitatis rationem, anguſtos terminos reſpuunt, ut conſtat, ex *§. 36. l. 20. D. d. re judic.* ubi dicitur, *quod & in perſonis mulieris æqua lance ſervari æquitatis ſuggerit ratio.* Et quanquam largimur, hoc beneficium initio paullo aſtrictius fuiſſe ordini militari, novo tamen poſtea jure, multo latius id patere coepit, ob æquitatis rationem, & pro togatis militibus æque militat Reipublicæ ſalus, non minus literis, quam armis, obtinenda. Fundunt ſanguinem pro republica milites ſagati, togati vero non minus patriæ conſulunt, quam ſi præliis atque vulneribus eandem defenderent, *l. 14. C. d. Advocatis &c.* Imo eruditi ſcientia ſua totum illuſtrant orbem, & ad obedientiam, Deo & magiſtratui exhibendam, ſubditos informant, *Auth. Hab. C. Ne fil. pro patre &c.* add. CARPZ. *P. I. C. 32.*

D.18. &. STRYK. *in V. M. π. tit. de ceſſione bonorum*, §. 21. qui, cum aliis, de uſu Saxonico, abunde teſtantur.

§. XII. De pignoribus quoque hic breviter agendum eſt. Ob debita juſta & legitima Academica ſtudioſos, ſi qua habeant, creditoribus ſuis dare poſſe pignora, certum eſt. In memoriam tamen revocentur hic, quæ ſupra Sect. I. §. 34. & 50. diximus. Contra vero, ſi æs alienum Academicum legibus non approbetur, nec valet pignoris conſtitutio, *l. 2. D. quæ res pignori &c. l. 9. §. 3. D. ad SCtum Maced.* Studioſi, quo pluribus rebus, quæ pignori eſſe poſſunt, inſtructi ſunt, eo facilius fidem eos habere, apud creditores, conſvetudo Academica teſtatur. Non tamen promiſcue omnia, quæ, pignoris loco, offerunt ſtudioſi, accipere ſolent creditores. Communi vero Judæorum Academicorum conſenſu, præ ceteris rebus, Biblia Hebraica, Corpus Juris, Quendtſtædi Syſtema & nonnullos alios bonos, uti vocant, libros, pleniſſimam crediti ſucuritatem præſtare, credimur. Has res, in ſecuritatem, libentes accipiunt fœneratores Academici nullamque dimittunt occaſionem, fœneri exponendi pecuniam ſuam. Sedulo tamen cavent, ne, ultra dimidium veri pretii, mutuo dent, neque ſine pacto commiſſorio, quod juſtum eſſe ac licitum, defendunt. Hæc vero pignora, cum raro relui ſoleant, inde fit, ut, brevi tempore, integras bibliothecas, exigua pecunia, ſibi comparent creditores, indeque eſt, quod, in Academiis, ſartorum & ſutorum hypocauſta, omnium facultatum libris exornata, interdum videas, ita, ut, poſſeſſores magnos eſſe Polyhiſtores, crederes, in primis, ſi ex illis audias egregia judica, de libris, ſi de juris beneficiis, filiisfamilias competentibus, diſſerant, ſi dicant, qua cautione opus, in fidejuſſionibus accipiendis, aut ſciant, ubi in bibliis Hebraicis titulus quærendus ſit &c. Sed ejusmodi monſtra Academica pluribus depingere non licet. Imo de ipſis pignoribus diſtrahendis ſigillatim hic nihil dicendum occurrit, niſi, quod, in Legibus Academiæ noſtræ de ſtudioſis & moribus eorum, id *n. 32.* ſanci-

ſancitum reperiatur, ſi ſupellectilem cujuspiam creditor arreſto detineat, nec debitor intra anni ſpatium ſatisfaciat, diſtrahere eam & vendere creditori licitum eſſe. Quæſtiones vero, quos Rebuff. *privil. 16. & 115.* movet, an repeti poſſint libris, ante æs alienum ſolutum, ſi forte ſtudioſus alteri libros, oppignorandi cauſa, dederit, deinde an libros ſtudioſorum, furtim ablatos, & Judæis pignori datos, donec pretium reſtituatur, retinere poſſint Judei, nullius momenti ſunt, vid. Ludov. *ad* Rebuff. *ll. cc. p. 22. & 140. ſqq.*

§. XIII. Tandem hic omnem hereditatem, quæ ſtudioſo obærato obvenit, ad æs alienum Academicum diſſolvendum, trahimus. Quod ſi hereditas, quæ illi defertur, ſit paterna, ſæpe numero illa occurrit quæſtio, an ſtudiorum ſumptus conferri debeant. Quæ quidem quæſtio ideo ad præſens inſtitutum pertinet, quia, per hereditatem, non diminutam, ſtudioſus eo magis ſolvendo ſit. Sedes hujus rei, quod ad jus Romanum attinet, eſt, in *l. 50. D. Famil. berciſc.* In hanc legem ex inſtituto commentatus eſt Busius & Georg. Wernerus, hic *ſingulari diſp. Helmſtad. 1664. de privilegio ſumptuum ſtudiorum cauſa factorum, ex d. l.* Præter hanc plures quidem leges in partes vocat Wissenbach. *ad π. tit. de Collat. Diſp. 12. §. 14.* quæ tamen non omnes æque ad rem faciunt. Interim, & ipſam *l. 50.* dubiam eſſe, ſuſtinet B. Beyerus, *ad π. de Collat. poſ. 14.* Sed, jure noſtro Saxonico, propter *deciſionem nov. 50.* res omni dubio caret. Quin etiam jus Romanum, per uſum & communem ſententiam, ſatis certum eſt, Simon van Leeuwen, *Cenſ. Forenſ. Lib. 3. c. 13. n. 16. p. 237.* Stryk. *V. M. Tit. de Collat. §. 7.* Ponendum itaque eſt pro regula, collationem ſumptuum, in ſtudiis filii factorum, fieri non debere. Niſi de Patris contraria voluntate manifeſte conſtet, *d. Deciſ. Sax.* Vbi tamen nondum ſatis eſt, ſi impendia in rationes privatas redegerit pater, *d. Deciſ. Sax.* conf. Mev. *P. 4. Deciſ. 233.* D. Menken. *different. I. R. & Sax. n. 364.* Stryk. *de ſucceſſ. ab inteſt.* Item, ſi filius, ſuo arbitrio, ſtudia elegerit, aut pater lautiores ſumptus, filio

filio efflagitante, suppeditaverit, aut pro illis solvere necessario debuit. Imo, si vel maxime de patris animo credendi, ex indubitatis conjecturis, constet, alimenta tamen nihilominus conferri non oportet, quia hæc ab officio paterno separari nequeunt, STRYK. *in V. M. l. c.* Alimentis vero necessarios etiam studiorum sumptus contineri, supra Sect I. §. 10. probatum dedimus, BEYER. *d. l. pos. 16.* Explicari ita debet eorum opinio, qui negant, statutis quibusdam injungi posse collationem nostram.

§. XIV. Deinde controversa hic quæstio est, an tum quoque conferendi sint studiorum sumptus, si eosdem filius male locaverit, si luxu prodegerit, & omnem spem de se conceptam fefellerit, dum nihil didicit, spesque Superintendentis in Ludimagistrum paganum, vel Consiliarii in Notarium vel militem gregarium exiit, leg. JOSUAE. VIGM. *Discursus*, **warum vornehmer Leute Kinder weniger zunehmen** *in studiis*, **als geringer**, *in 4.* quem autorem in partes vocat BESOLD. *in thes. pract. voc. studiosus.* Quæstionem hanc affirmat communis opinio. Tanto minus, inquit WISSENBACH. c. l. filius consequitur familiæ hercifcundæ indicio, quanto luxu, alea, gula, abdomine, perdidit, arg. *l. 1. §. confertur 23. l. 2. §. de illis 2. D. d. Collat. Auth. quod locam C. eodem.* Sed B. BEYERUS, d. l. cum BUSIO, negat, modo reliqui liberi legitimam habeant salvam. Si hoc, etiam illos sumptus, quos supra Sect. I. ad æs alienum, honestatis aut voluptatis causa, contractum, retulimus, collationi eximendos esse, censet idem, *pos. 15.* ubi tamen fatetur, se dissentientem BODINUM, *in disp. de Collat. sumptum studiorum*, nactum esse.

§. XV. Ab his sumptibus, quos non conferendos esse diximus, opinione, tantum non communi calculo, comprobata, separari solent libri, filio, studioso, a patre empti, atque, hos conferri debere, volunt VINNIUS, *de Collat. c. 10. n. 11. & c. 13. n. 4.* &, cum illo, BEYER l. c. Plures, qui ita existimant, adducit KNICHEN, *in Oper. Polit. p. 1056. n. 3.* Sed, collationem librorum fieri oportere, negat WISSENB. *l. c.*

p. 742.

p. 742. argumento, a militia ſagata, tracto, modo bibliotheca magni non ſit pretii, ut enormis inde oriatur inæqualitas. Negantium numerum auget, cum multis aliis, REBUFF. *privil. 55. ſqq.* qui eandem aſſertionem etiam ad pecuniam, ad libros emendos, datam, & nonnullos alios caſus, producit. Contra vero præterea ille limitat 1.) ſi filius, tempore mortis patris, Pſeudo-Scholaſticus ſit, ſeu ignarus & vagus. Conferatur BRUNNERUS, *in tr. de Collat. bonorum, c. 4. n. 142.* REBUFFUS tamen addit, hoc, contra ſcholarem, difficile eſſe obtentu, cum vix ſit aliquis, quin ſaltem modicum ſtudeat, alias eſſet pecus Meliboei. 2.) Quando pater libros emerit, ſed non tradiderit, nec filius confecerit ſtudiorum curſum, ac tandem 3.) ſi pater in teſtamento filio collationem injunxerit. Verum nemo diſtinctius accuratiusque hanc litem dirimit atque componit, quam illuſtris LYNKERUS, *in analect. ad* STRUV. *Syntagm. Jur. Civil. p. 351. th. 29.* ubi diſtinguit, an libri, durantibus ſtudiis, dati ſint filio, an, abſolutis. Priori caſu iterum diſcerni debere, admonet, an filio ſint præciſe neceſſarii, an non. *Ibi*, tanquam inſtrumenta neceſſaria haberi, *hic* vero collationi ſubeſſe, niſi, vivo patre, filius ſtudia abſolverit. Poſteriori caſu non conferri propterea, quod ſpectent ad peculium quaſi caſtrenſe, quod, abſoluto ſtudiorum curriculo, incipiat. In qua hic ſententia ſubſiſtimus, tantoque in togata militia heroi faſces ſubmittimus lubentes.

§. XVI. Ceterum hanc propoſitionem principalem, qua, non conferri debere ſtudiorum ſumptus, aſſeritur, eo extendunt, ut exiſtiment, ſi, poſt mortem patris, filii, quorum unus ſtudioſus eſt, in communione paternæ perſeverent hereditatis, ſumptus, in conſummationem ſtudiorum, e re communi, erogandos eſſe. Quod, per contrarium ſenſum, eliciunt, ex *l. 52. §. ult. l. 59. §. ult. D. pro ſocio. add. l. 38. §. 1. D. d. donat. inter virum & uxorem.* Ut adeo miremur, qui LU-

DOVICI, *ad* REBUFF. *privil. 59.* leges desiderare possit. Deinde quoque asserunt, æs alienum Academicum, quod filius, vivo patre, honeste contraxerit, e communi hereditate exsolvi oportere, non de sola filii parte, facit huc *l. 20. §. 6. & 7. D. d. famil. herecisc. l. 5. C. ad SCtum Macedonianum.* Quod si vero his juribus singularibus utendum non censeat studiosus, quæritur, an, in præjudicium creditorum, eisdem renunciare liceat. Neutiquam id integrum est debitori Academico. Quippe qui nec directe, nec per circuitus, in fraudem creditorum moliri potest. Sive enim ipsi privilegio, quo a collatione studiorum sumptus immunes sunt, nuncium mittere velit, sive futuræ hereditatis parte aliqua, hos sumptus adæquante, abdicere sese in animum inducat obæratus studiosus, utramque fraudandi viam ingredi, juris & æquitatis ratio prohibet. Etenim, in fraudem creditorum, ac mala fide, alienationem fieri, a debitore, nefas est, *tot. tit. D. quæ in fraudem creditorum facta sunt &c.* Sumptus vero studiorum, ex quo subministrantur filio, vi tacitæ donationis patris, ad illum, veluti peculium quasi castrense, pleno spectant jure atque illi plenissime jam acquisita esse censentur, adeoque alienatio rei, quæ jam in patrimonio filii existit, susciperetur, si ipsemet sese ex postfacto ad collationem faciendam obstringeret. Neque per ambages fraudulenti sui consilii speratum eventum obtinebit, si forte, in eandem freudem, hereditatis futuræ certam partem, dictis impensis supparem, per pactum aliquod renunciativum, creditoribus subducere tentet. De qua sententia nos non dimovet ULPIANUS, *l. 6. D. quæ in fraudem creditorum facta sunt &c.* ubi, debitori, negligere acquisitiones omnes, integrum esse, diserte declaratur. Hoc enim summum jus, summa æquitate, emolliendum hodie esse, cum GIESEBERTO, censet SCHILTER. *ad π. C. 46. §. 53.* STRYK, *in V. M. Libr. 42. Tit. 8. §. 3.*

§. XVII.

§. XVII. Breviter hic summatimque illis rebus indicatis, unde solutionem & sperare & obtinere possint creditores Academici, instituti lex nunc jubet, ut etiam, de ipso modo, quo studiosi obærati ad solvendum jure compelli possint, paucis exponamus. Cum studioso, qui sponte satisfacere abnuit, cito in jus ambulant creditores, quorsum tamen ille, obtorto collo, rapi ab his non debet. Sed primum causa recte riteque ad judicem competentem deferenda est. Hic, a creditorum cohorte imploratus, illico debitorem communem in jus vocari, jubet & quidem plerumque, per ministros, quos vocant, publicos. Si studiosus vadimonium obeat, quid tum porro cum illo rerum geri soleat, videamus ex eleganti ac lepida oratiuncula TAUBMANNI, hic VITEMBERGAE, a. clɔ lɔc VIII. *in templo arcis*, cum magistratu Academico abiret, habita. Quæ cum prope disparverit, & in paucissimorum manibus sit, qua instituto congruit, eam hic inserendam censuimus. Edita est in *otio semestri publico* TAUBMANNI, *Vitemb. 1610.* Vbi, præter cetera, *p. 158. seqq.* in hunc modum edisserit, *Jam, cum hos absolutos censeas, trudunt alii decem, quasi grex venalium, & trahunt secum Johannem Biberium, cum tabellario, qui heri dicitur domum rediisse. Stat mercator, stat sartor, stat sutor, stat vinarius, stat caupo; etiam ille Pratensis, quasi parum eorum sit in oppido: stat lotrix, stat coronaria, stat tonsor, stat ancilla, nescio quæ, stat bibliopola: postremo apparet etiam, qui in primis debebat, hospes, qui domum & mensam præbuit. Stant sexcenti alii aliæque; Omnes: Rector Magnifice, Dominus Johannes Biberius debet mihi tot, mihi tot, mihi etiam plus plusque; En hic autographum hominis! Putitur ratio ordine cum singulis; Summa anstitoris pro veste bombycina, pro holoserica, pro subserica, pro vento textili: (Nam vestem e panno, aut levidensam, aut ab exuviis animalium gestare, hodie sordidum putatur, & tantum Picentes, ut vocant, decet,) institoris,*

ſtitoris, inquam, ſumma, itemque cauponis omnium quidem maxima eſt: Bibliopolæ minima, aut minimæ proxima. Jubetur pecuniam tabellarius deponere. Numeratur, ſunt triginta floreni: ille autem centum quadraginta debet. Hic diſputatur de jure potiori variis & titulis & conviciis. Nec unquam Marſyas ab Apolline, aut Pentheus a Bachis æque miſere laceratus fuit, atque hic Biberius a ſuis credonibus an creditoribus. Hic turbant: hic mera faciunt mapalia; ne dicam ſuilia. Sententia Rectoris expectatur. Sed tam ingenioſus Alchymiſta nullus unquam Rector fuit, qui e tantillo poſſit facere tantum. Singulis adjudicatur aliquantillum. Alius in ſententia acquieſcit: alius, niſi univerſum, negat accipere quicquam: alius aliud clamitat; Pecuniam omnes; Biberium omnes. Quis credat Herculem excetram illam Lernæam, πολυκέφαλον ὕδραν, *majori ærumna confeciſſe, quam Rectorem tot capita triconum & lucrionum? Jamque hos etiam, quocunque ſane modo, abſolutos cenſeas: & ecce Saufejus & Cecractes trahuntur a Craſſitio &c.*

§. XVIII. Modus, quo tum procedi ſoleat, contra obæratos ſtudioſos, eſt ſummarius, quia ſtudiorum cauſa ad pias refertur cauſas. Quod ita accipiendum eſt, ſi ipſemet ſtudioſus, alio proceſſus genere conveniri, nolit. Nam illi, non creditoribus, libera eligendi relinquitur facultas. Quodſi ſtudioſus, æris alieni cauſa, in Jus vocatus, compareat, debitaque confiteatur, non tamen eadem ſtatim ſolvat, aut ſi, contumax, vadimonium deſerat, id primum creditoribus in mentem atque conſilium venire ſolet, ut, eum, vel ſecuritatis, vel ſolutionis, eo citius obtinendæ, cauſa, cuſtodiæ illico mandari, petant, multas interferentes cauſas, u. gr. ſtudioſum de fuga eſſe ſuſpectum, diſceſſum clandeſtinum parare & ſimilia. Data hic occaſione, quid, circa carcerem obærati ſtudioſi, juſtum & æquum ſit, breviter nunc adducemus. Solent vero debitores duas potiſſimum ob cauſas carceribus mancipari, videlicet, ut vel decoctores fraudulenti & doloſi promeritam luant pœnam,

pœnam, vel contumaces debitores, ad ſolutionem compellantur. De primo, imo etiam de utroque in univerſum late hic agere, non ſinit inſtituti noſtri ratio. Interim in hanc ſententiam adiri poterit DANIEL SAUTERUS, *de pœnis mercatorum nequitur foro cedentium*, LUGD. *Batav. 1619. in 4to* in *c. 2.* octo pœnarum genera more & legibus gentium, in debitores ac fallitos conſtituta eſſe, monet, videlicet, damnum, vincula, verbara, talionem, ignominiam, exilium, ſervitutem, & mortem. Quorum ſingula ſingulis capitibus latius perſequitur. Speciatim vero de carceris pœna agit *c. 45. ſqq.* ubi probe diſtinguit, inter debitores, qui nulla ſui culpa, ſed, fortuna ſic volente, &, qui dolo & culpa ſua, non ſolvendo redditi ſunt. Hos cerceri publico juſte mancipari, aſſerit, illos vero, facta bonorum ſuorum ceſſione, ab eodem immunes habet. Conferri hic meretur GEORGII er ZEIDLERI *Diſp. de carcere abæratorum debitorum.* De jure Saxonico *vid. P. II. Conſt. Elect. 22.* ibique CARPZ. Hæc omnia, quin ſuo modo etiam ad ſtudioſos accommodari poſſint, nullum quidem eſt dubium. Attamen res hic paullo altius repetenda eſt, multaque in ſtudioſis occurrunt prorſus ſingularia, ita, ut communis regula propemodum deferenda eſſe videatur. Etenim ſtudioſi, etiamſi bonis non ceſſerint, ab arreſto tamen immunes omnino eſſe exiſtimantur. In qua re explananda ita nunc verſabimur, ut, probata ipſa regula, ambitum pariter ac terminos ejus, per exceptiones nonnullas, commonſtremus.

§ XIX. Fundamentum, quo hæc ſtudioſorum immunitas nitatur, vulgo quærunt ac ponunt, in celebri illa *Auth. Habita C. Ne filius pro patre,* argumentis tamen magis, quam verbis utuntur, dum, e ſecuritate veniendi, abeundi quoque ſecuritatem arguunt, ac præterea quæ, ibi de peregrinatione dicantur, ita ad commodum cauſæ ſuæ inclinant,

 ut,

ut, de immunita ab arrestis, plene persuadere, sibi persuadeant, vid. Joh. Georg. Bechtius, *tr. de securitate & salvo conductu, Basil. 1612. §. 233. sub fin. lit. d.* Sed possent hic multa regeri, quæ assertionem vulgarem dubiam redderent. Verum id operam potius dabimus, ut studiosis, abæratis, quoad justi æquique rationes id sinent, immunitatem illam asseramus. Pleno & quasi uno ore eam communiter largiuntur DD. ad *d. Auth.* vid. Bechtium. *l. c.* §. 234. Rebuff. *de privil. stud. c. 83.* Petrum Peckium, *de jure sistendi, c. 5. n. 1. p. 742. Opp.* Dav. Mevium, *de Arrestis, c. 8. n. 95. sqq.* Quodsi itaque huic Dd. opinioni eorumque non ubique contemnendis argumentis, egregium addas studiosorum fervorem & singulare illud odium, quo arresta digna alioquin habentur. Mev. *d. l. c. 2. n. 7. sequ. & P. III. Decis. 315. P. 5. Decis. 388.* Pro asserenda immunitate illa, de qua hic agimus, satis dictum esse videtur. Hoc privilegium tam late patre, cum Jasone, Angelo, Zasio & multis aliis, putat Bechtius & Peckius, *l. l. c. c.* ut studiosi, ne in Academiis quidem, ob non solutam domus convictusque pensionem seu mercedem, vel aliam causam, detineri possent. Id, quod ita verum esse, contendit Rebuff. uti quoque, non nullos ad laqueum condemnatos esse, viderit, ob eam causam, quod recedentium scholarium libros detinuerint. Neque interesse, ajunt, quod æs alienum ante, quam aliquis studiosus factus sit, conflatum fuerit, vel quod ille, extra Academias, contraxerit. Neæ statutum, inquiunt, quo, post solutionis terminum, debitorem in persona sisti debet, contra studiosos valere.

§. XX. Imo non minus ad parentes studiosorum extenditur illius immunitatis usura, si forte parentes filios, in Academiis, invisant. Modo tamen hi ibidem non contraxerint, nec solvere promiserint, vel longo tempore illic, in fraudem creditorum, commorati & alia ratione domicilium

loci

loci sortiti sint, PECK. *d. l. n. 3.* MEV. *d. l. de arrestis n. 102.* Concedi hoc potest, quod ad personam, non vero, quod ad res eorum attinet, atque si, pro filiis, studiosis, in Academiis, solvere debeant, debitaque sint liquida & parentes in alio territorio habitent, ubi creditores non, nisi difficulter illos convenire possunt. Quanquam rationes illæ, quas, pro favore parentum, hic adducunt, sat debiles & infirmæ sunt, cum u. gr. dicant, expedire parentibus, liberos, quos plus, quam se, diligunt, visitare, eorumque vitam & mores perquirere, item delectari parentes in visitatione filiorum, qui sunt baculi senectutis eorum, *Tobiæ X.* PECK. *d. l.* Sane, hæc omnia, ad immunitatem illam evincendam, nihil momenti habere, putamus. Sed, de exceptionibus, nunc quoque dicendum est, quas regula, supra tradita, patitur. Tot vero, ex communi DD. consensu, hic admittendæ censentur, ut eisdem ipsa regula plane subrui ac tolli videatur. Falli eandem statuunt, si studiosus naviter studiis suis non invigilet, sed perfunctorie & dicis causa studia colat, animum ad alia adjiciens, si delicta committat, si privilegiis suis expresse vel tacite renunciaverit, si de fuga & consilio defraudandi creditores suspectus sit, vid. PECKIUM & MEVIUM *ll. cc.* Interim, si hos excipias casus, privilegio omnino frui studiosum, existimat PECKIUS, *l. c.* licet ille vel maxime juraverit, ex Academia se non esse discessurum, nisi prius æs alienum solutum sit. Ubi tamen ille requirit, ut parentes, proprio motu, nullis hoc nomine acceptis literis precatoriis, filium ex Academia domum revocaverint, propterea, quod in omni juramento superioris autoritas excepta esse intelligatur, *C. veniens 16. X. de jurejurando.*

§. XXI. Quæ hic partim de fugæ ac fraudis suspicio-

terpoſito, promittant, ſe nolle de Academia diſcedere, ante, quam debita, ibi contracta, ſolverint. Ita in juramento, quod noſtratis Academiæ cives præſtare debent, hæc occurrunt. *Sexto, ſi quod debitum contraxero, ipſo jure, hoc eſt, citra denunciationem a Magiſtratu Academico factam, arreſti vinculo tenebor, donec ſolvero, aut creditori meo ſatisfecero.* Hoc vero id potiſſimum operatur, ut ſtudioſus, qui ſecus faciat, veluti violator arreſti, publice citari, ſique non compareat, relegatione puniri, queat, MEVIUS, *P. I. Deciſ. 239.* COLER. *de proceſſ. execut. P. III. c. 11. n. 50.* cum alioquin ſtudioſus, poſt diſceſſum ab Academia, ob ſolos contractus, ibi celebratos, in illa non retineat forum, nec citari amplius poſſit. Quemadmodum hæc omnia & ſingula Academiæ noſtræ patres conſcriptos, a. 1695. in eas conſilii rationes ineundas, adduxerunt, ut, de arreſto, ſupra dicto, conſtituendo, Sereniſſimique Electoris conſenſu muniendo, cogitarent. Sed, cum poſtea hæc res ipſi jurijurando Academico inſerta ſit, quæritur nunc, an ſtudioſi, qui ejusmodi arreſtum violant, perjurii quoque rei fiant ejusque pœnam incurrant, de qua re ex inſtituto agit EPHRAIMUS GERHARDUS, *diſp. de crimine & pœnis perjurii.* Plurimi hoc negant, ob alternativam obligationem, quam Leges Academicæ hic important, ubi ſtudioſi vel ad obſervandum id, quod jurato promiſerunt, vel ad pœnam ſubeundam, tenerentur. Sed vereor, ut hæc ſententia atque diſtinctio ſtudioſorum conſcientiam, in utroque foro, tranquillam & ſecuram reddere poſſit, inprimis, ſi jusjurandum, uti hic, ad ſpecialia quædam directum ſit, vid. PUFENDORF. *jus N. & G. Lib. IV. Cap. 2. §. 23.* *Div.* HORNIUS, *ad* SCHILTERI *Jus Canonicum*, *Lib. 1. tit. 13. §. 10. p. 122.* FRITSCH. *de Scholari peccante*, *c. 12.* Nec protinus hic admittenda videtur PECKII opinio, de ſtudioſorum revocatione, ex Academiis, a parentibus facta, ſiquidem parentibus, qui plerumque, ob æs alie-

alienum filiorum, correi quoque debendi sunt, nulla est potestas, Academica jurisdictione superior, qua possent, contra senatus Academici Consulta ac sententias aliquid statuere, vel creditoribus jus, semel quaesitum, per imperium suum domesticum, intervertere aut penitus auferre. Verum sine dubio juramenti vis evanescit, nec in studiosum, ob arrestum violatum, citra summam injuriam, agi potest a lucrionibus, si hi non solum in illius abitum ex Academia consenserint, sed etiam solius patris fidem secuti, ejusque facta, de solvendo promissione diu ac quieverint, studiosus vero interim summos facultatis suae honores obtinuerit. Idem dicendum, si studiosus unde vivat, in Academiis, non habeat, sed, fame adactus, domum remigravit, aut, ob alias necessitatis causas, quas recenset COLER. *l. c. P. 1. c. 8. num. 93. & P. III. c. 11. num. 52.* discesserit. Quoniam juramenta ad impossibilia non producuntur, GROTIUS, *d. I. B. & P. Lib. 2. c. 13. §. 8. & 9.* PUFFENDORF. *d. l. §. 11.* UFFELMAN. *de officio hominis circa serm. p. 114. §. 12.* MOLIN. *de I. & I. Tr. 2. D. 572. num. 22.* Cum vero impossibilitas non semper simpliciter talis sit, sed ex certa suppositione oriatur, omnem moraliter possibilem operam dare oportet studiosum, ut ejusmodi vincat impossibilitatem, &, quod illi facere incumbit, possibile reddat. Quare hic quoque opus est, ut ipsi creditores alimenta praebere nolint, nec honesto modo se ipsum sustentare queat studiosus.

§. XXII. Jusjurandum illud, quam arcte quoque

Arreſt, ubi ſtudioſo ne quidem in publicum prodire licet, ſed aut cuſtodiæ mancipatur, aut cuſtodes ipſi domi ponuntur, aut, de muſeo diſcedere, prohibetur. Inter cauſas, ob quas contra ſtudioſum, obæratum, ita interdum conſtitui ſoleat, princeps & communiſſima a fugæ ſuſpicione accerſi ſolet. Imo ſunt, qui exiſtimare non dubitant, ſtudioſos omnes, qua tales, de fuga ſemper eſſe ſuſpectos, adeoque illos, qui ære alieno obruti ſint, & ſolvere nequeant, ſine omni ulteriori dubitandi ratione, cuſtodiæ mandari poſſe. Verum hic in univerſum, pro ſtudioſis, militat non ſolum bonitatis, ſed & illa præſumptio, quod ſine culpa ſua ad paupertatem redacti ſint, Mev. *P. 6. D. 286. num. 2.* nec ſtatim fraudandi propoſitum fugæ apparatus arguit, modo ceteroquin bonam fidem creditoribus commonſtrare enixe laborarint, confer. D. Cocceius, *diſp. de fuga, c. 2. num. 4. & 5.* ubi de fuga creditorum late agit. Deinde, fugæ & fraudis ſuſpicione eos vacuos eſſe, arbitramur, ſi in eadem provincia bona immobilia poſſideant, ſi beneficiis atque ſtipendiis fruantur, ſi comprovinciales ſint habeantque parentes divites, aut in dignitate conſtitutos. In primis vero temere non eſt progrediendum ad ſtudioſos, carceri includendos, ſi jusjurandum, de non diſcedendo ex Academia, ante diſſolutum æs alienum, præſtiterint. Hoc enim juramentum id etiam, pro ſtudioſis, operari putamus, ut, ſi vel maxime domum proficiſci inſtituant, tamen credendum eſſe, hoc fieri animo ſtatim redeundi. Hic quoque addendum eſt, ſi quis, cum jam probe ſciret, ſtudioſum ſolvendo non eſſe, eidem crediderit, ſi debitum aut non ſit liquidem, aut a legibus, primo jam intuitu, reprobatum, ſi creditoribus non in Academia, ſed in patria ſolutio promiſſa ſit, ſi denique parentes

tes

tes jam convenerint, aut illorum fidem solam, nulla filio habita, secuti sint creditores &c. Contra vero, pro studiosis, verba non faciemus, si horum neutri locus sit, sed studiosi potius manifesta fugæ, atque fraudulenti consilii indicia præbuerint, vel per vitam ante actam, vel alia ratione, u. c. si milites sint levis armaturæ, si vagabundi, de quo studiosorum genere, ex instituto agit JACOB. THOMAS. *erud. disp. de vagantibus scholaribus, Lips. 1675.* Nec tamen promiscue hic fugæ indicia sufficiunt, conf. *Ord. P. Sax. Tit. 51. pr. ibi,* **Als: wenn einer, der nicht gnugsam besessen, oder derenthalben aus erheblichen Ursachen verdächtig wäre, rc.** de fugæ conjecturis capiundis, vide COLER. *d. l. P. I. c. 2. n. 122. sequ.* CRAVETTA, *Cons. 847.*

§. XXIII. Quodsi studiosus, e magistratus Academici sententia, ob debita sua, carceri mendatus sit, sæpe quæritur, quis eum alere debeat, si parentes nolint, aut ipse studiosus pauper sit. Creditoribus alendi onus incumbere, communis est opinio, COLER. *de aliment. l. 1. c. 14. n. 67. sqq.* SURDUS, *de aliment. Tit. 1. qu. 71. 72.* Hoc tamen eos, credendi animo, facere intelligendum est. Quantum vero studioso, alimentorum causa, præbendum sit, non studiosi voluntas, sed judicis arbitrium definit atque determinat. Fatemur, hic multa, ob dissertationis angustos terminos, dictu necessaria, prætermittenda esse, de mediis tamen tollendi carcerem nonnihil breviter nunc dicendum erit. Carcere liberatur studiosus obæratus, solutione debiti, PECK. *d. l. c. 45. num. 1.* cujus vice interdum depositio judicialis fungitur, si scilicet debita aut non videantur legi-

futurarum, habenda est ratio. Ac tametsi depositio non sit solutio, tamen admittenda illa erit, quoties debita liquida & confessata nondum sunt. Quemadmodum ex adverso, si talia sint, nulla cautio, nec pignora, sufficiunt, sed solutionem ipsam fieri oportet, *l. 4. §. 3. D. de Re judic. l. 10. D. d. pignor. l. 6. §. 1. D. quib. mod. pign. vel hypotheca solv.* His rationibus adductus Serenissimus Potentissimusque Rex noster, Anno 1722. d. 20. Febr. in causa J. G. G. ad Academiam nostram ita rescripsit. FRJEDRJCH AUGUSTUS, König und Churfürst rc. Uns ist gebührend vorgetragen und verlesen worden, was ihr wegen J. G. G. und dessen Glaubigere unterm 16. hujus unterthänigst anhero berichtet rc. rc. Allermassen wir nun die in der Sache eingewandte rc. Appellationes rejiciret haben; So ist hiermit unser Begehr, ihr wollet Appellanten damit abweisen, von G. auch, wenn er, seinem Erbieten nach, das Geld deponiren will, solches annehmen, ihn auf freyen Fuß stellen, und denenjenigen, so vor Tisch, Logiament, und andere Nothwendigkeiten mit Recht etwas zu fodern, das Ihrige von dem Deposito abfolgen lassen rc. rc.

§. XXIV. Deinde, pignoribus vel fidejussoribus idoneis datis, e carcere, dimittendus est studiosus, modo hic cavendi modus ita comparatus sit, ut creditores pari facilitate suum obtinere possint, atque per carcerem debitoris. Cogi ergo nequeunt creditores, ut, cautionis loco, hypothecas, in alio territorio constitutas, accipiant &c. Quod ad fidejussores attinet, fieri interdum solet, ut vel mater, vel comprovinciales, die Landsmannschafft, ad fidejubendum se offerant. Ejusmodi fidejussionis an velint acceptare creditores, in eorum est positum arbitrio, imo, ut easdem accipiant ob multas, quae

quæ hic occurrunt, difficultates, illis non ſumus autores. Per ceſſionem bonorum aliquando debitor a carcere ſe liberat, de qua re, ad *Tit. π. de Ceſſione bonorum*, ex inſtituto agi ſolet. Hoc flebile juris remedium ſine dubio ſtudioſis etiam competit, hocque fieri intelligitur, ſi ſtudioſus, jurejurando interpoſito, aſſerat, ſe nihil bonorum, in fraudem creditorum, occultare, nihilque habere in bonis, unde ſolvere poſſet, adjecta promiſſione, ſe certo ſoluturum eſſe, quam primum ad meliorem pervenerit fortunam, *Novell. 135. c. 1.* Mev. *P. 4. D. 470. n. 5.* Quæritur hic, an, per pœnam relegationis ſolvatur carcer, ſi u. gr. ſtudioſus ejusmodi pœnam, ob alias cauſas, mereatur, & illa executioni mandari. Ita non videtur propterea, quod pœna hæc alioquin beneficium foret ſtudioſo, ſi illi diſcedere atque abire liceret, ante, quam æs alienum ſolvit, & ſane punirentur, ſine crimine, creditores, quippe quibus jus quæſitum auferri, juris & æquitatis ratio non patitur. Quare, donec ſolutio debiti ſit facta, differenda eſt relegatio. Quemadmodum hæc omnia, per reſcriptum aliquod Regio-Electorale, ad Academiam noſtram, maxime confirmantur, cujus hæc ſunt verba, FRIEDRICH AUGUSTUS, König und Churfürſt 2c. Wir haben uns gebührend vortragen, und verleſen laſſen, was ihr in Schuld-Sachen C. B. eines in der St ::: ſchen Denunciation mit intereſſirten Studioſi, Bekln an einen, J. G. St. Klrn, andern theils untern II. hujus allerunterthänigſt anhero berichtet; Nun tragen wir zwar der von Klrn folio 1. eingewandten Appellation zu deferiren Bedencken, und habt ihr Appellanten deſſen alſo zu bedeuten, begehren aber im übrigen, ihr wollet, mit

ſtehen; Möchten Wir euch nicht bergen, und es geſchiehet daran Unſere Meynung. Datum Dreßden am 16. Januar. Anno. 1723. Equidem hæc ſingula & multa alia uberius ac latius, quemadmodum inſtituti ratio poſtulare videtur, perſequi conſtitueramus. Verum, quia limites diſputationis cujusdam egreſſi jam ſumus, calamum hic ponere nunc cogimur, nobisque ſatis eſt, argumenti præſentis hinc inde demonſtraſſe receſſus, ſi eidem non ubique ſatisfacere valverimus. Quod ultimum eſt B. L. ſingularem in modum rogamus, ut, ſi qua minus accurrate a nobis dicta ſint, omnia in meliorem accipere partem nosque favore ſuo dignari haud gravetur.

S. D. G.

